



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

Capvt Primvs. De neceßitate & modo ministrandi Sacramenta tempore
pestis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

CAPVT PRIMVM.

De necessitate & modo ministrandi Sacramenta tempore Pestis.

QVÆSTIO I.

Vtrum Sacramenta sint ministranda tempore Pestis?

Quæstionis explicatio.



Ro fundamento dicendorum in hac & sequentibus quæstionibus, ponimus (a) primo, sacramenta esse veluti quædam *medicamenta*, quibus *Samaritanus Dominus noster* (b) peccati *Originalis & actualis vulnera sanat*, esse quoque *instrumenta gratiæ*, per (c) quæ *omnis vera iustitia vel augetur, vel amissa recuperatur.*

a Luca 10.

b Magister sentent. li. 4. dist. 1. litt. T.

c Conc. Trid. sess. 7. de sacr. in proem. c. 4.

Secundò, in sacramentorum administratione quædam pertinere ad illorū substantiam; vt sunt, materia, forma, & debita eorū applicatio, sine quibus nullo casu occurrente perfici possunt: quædam esse veluti illorū accidentia, vt sunt ritus & cæremoniæ ab ecclesia institutæ, cū quibus etsi ordinarie pro maiori illorum reuerentia ministrari debeant, sine illis tamen in necessitate subsistere possunt, quæ notiora sunt quam vt probatione egeant.

can. 4.

d Conc. Trid sess. 21. de cõmunione sub utraq; specia.

Tertiò, (d) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia Dei fuisse, vt in sacramentorum dispensatione,*

A ne,

nè, salua eorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suspicietium vtilitati seu ipsorū sacramentorum venerationi, pro rerum, locorum & temporum varietate magis expedire iudicaret.

*a*Cont. Trid. Sess. 7. can. 13. Quarto, dici (a) anathema illi qui dixerit receptos & approbatos ecclesie catholice ritus in solenni Sacramentorū administratione adhiberi cōsuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris prohibitu omitti, aut in nouos per quemcumq; ecclesiarum pastorem mutari posse.

Ex quibus infertur primo, ad summos Pontifices pertinere constituere ritus & ceremonias Sacramentorū quæ vniuersalem ecclesiā afficiant, ad Episcopos, q̄ suam tantū diœcesim, inferiores vero ecclesiarū pastores, nihil circa ritus huiusmodi posse sine summi Pontificis vel Episcopi auctoritate.

Quinto certum esse, quod communiter Doctores Scholastici aiūt. *Sacramenta ex attritis facere contritos*, hoc est, conferre gratiā iustificantem, etiam illis, qui tantum imperfectam habent contritionem, si voluntatem peccandi deponant. Quod Concilium (b) Tridentinum videtur confirmare, cum dicit, *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere homi-*

, Sess. 14.
can. 4.

hominem hypocritā. & magis peccatorē, vt volūt
 nostri heretici, verū etiam donū Dei esse, & spiri-
 tus sancti impulsū. non adhuc quidē inhabitā-
 tis, sed tantū mouentis quo pœnitens adiutus viā
 sibi ad iustitiā parat. Et paulo inferius, cū de
 eadē attritione seu contritione imperfecta
 loquens dicit, eam, quāuis sine sacramento pœ-
 nitentia per se ad iustificationē perducere peccato-
 rē nequeat, tamē ad Dei gratiā in sacramento pœ-
 nitentia impetrandā disponere. Et quāuis Con-
 cilium hoc loco id sacramēto pœnitentiæ
 tantū attribuat, eandē tamē virtutē tribuē-
 dam esse & reliquis sacramentis. Doctores
 suprafati concorditer asserunt, quia nisi id
 concedatur, nunquam accideret vt huius-
 modi sacramenta re ipsa conferrent gratiā
 non habenti, quod pugnat cum sententia
 eorum locorum scripturę, in quibus virtus
 illorum sacramentorum continetur. Quæ
 doctrina diligenter parochis notāda & ob-
 seruanda, tum quia illustrat mirum in mo-
 dum virtutem sacramentorum, quorum il-
 li ministri sunt, tum quia fidelibus sibi sub-
 iectis magno est solatio; fateri siquidem de-
 bemus, non solum ægritudine pressos, sed
 & maiorem plebis partem loco contritio-
 nis solum attritionem concipere, qua etiā
 accedente voto sacramenti nunquam eos
 iustificaret, atque ita in æternum perirent;

4 DE NECES. ET MODO MINIST^r

nisi applicato actualiter aliquo sacramēto, virtute cuius gratiam iustificantem recipient, qua, si statim ex hac vita migrent, in æternum saluantur.

*à arg. cap. 2.
extra de bap-
tis. & D. Leo-
nis exempla
ad rustic.*

Sexto, diligenter quoq; à pastoribus notandum q̄ (a) quoties exoritur dubiū probabile de aliqua re necessaria ad sacramēti alicuius administrationē, puta, de materia, vel forma, utrū sit certa vel incerta, vel de fuscipiente, an sit bene dispositus, vel non, vel de ministrāte, an habeat, vel nō habeat sufficientem potestātē, sacramētū debere ministrari sub conditione, vel expressa, vel tacita: Expressa, si dubiū sit publicū; ad sedandum per illā scandalū: Tacita, siue subintellecta, si dubium sit occultū, quia hac ratione subuenitur periculo probabili animarum, ne fideles sacramento priuentur, per q̄ de attritis fiant contriti, iuxta regulā statim dictam, & nullum est periculum irreuerentiæ vel iterationis sacramenti, quia conditio apposita vel cōcepta illud excludit. Neque obstat si plures rationes sint cōtra ministrātionem sacramēti, puta, baptis- mi, vt si dubitetur an quis sit baptizat⁹, sint tamen probabiles, quod non sit, quamuis pauciores, ille nihilominus debet baptizari sub conditione. Similiter si dubitetur, an quis sit dispositus ad recipiendā absolutio-

acm

nem sacramentalem, Eucharistiam, Extremam Vnctionem, & sint plures rationes & verisimiliores quod non sit dispositus, sint tamen aliqua probabiles quod sit dispositus, debet ministrari sacramentum, (a) quia in dubiis sequenda est opinio quae fauet anime.

a Ex Iaforma lib. 1. cap. de summa Trinum. 56.

Confirmatur, quia licet Dd. dubitent, an valeat baptismus in solo pede vel manu, & teneant tanquam verosimilius non valere, saltem quando puer non est omnino natus, & multi, etiam si sit omnino natus, nihilominus omnes docent in articulo mortis dandum esse tale baptismum in solo pede vel manu, si aliud fieri non potest, ergo idem dicendum erit & in ministracione aliorum sacramentorum. Confirmatur 2. (b) quia necessitas & periculum alicuius grauis damni & maxime damnationis aeternae, faciunt sententiam practice probabilem, quae alias vix esset probabilis, ut patet ex usu ecclesiae dantis sacramenta in articulo mortis minore examine, quam daret si talis necessitas non vrgeret, ut quando datur Extrema Vnctio ei, qui confossus fuit gladio ab aliquo, cum quo proxime rixabatur. Quae omnia conformia sunt (c) sacris Canonibus & Pontificum decretis, quae diligentissime commendant administracionem sacramentorum in articulo mortis, ne Pastores fiant rei animarum.

b Sor. relect. de regend. secret. memb. 3 q. 2. concl. 3.

c Si presbyter & cap. agnominus & c. presbyter de consec. dist. 2. & ca. Maiores de baptismo & cap. Quod in te de poenit & c. alma mater de Excom. l. 6.

Septimo, pestem seu epidemiam oriri a-

A 3 liquan-

liquando ex speciali Dei ordinatione ad peccatorum punitionem & iustorum probationem: Aliquando ex causis naturalibus, ut corruptione aeris & similibus; ordinarie ex utroque; ut ex Patribus & Scripturis ante nos Gabriel

a Serm. dominica post Pentecost. q. de fuga pestis.

(a) Biel annotavit.

b Ioannes du Chaisneli. 1. de peste recognita & debellata ca. 2. c Marc. Ficinus in Epid. Antid. d Thucidid. lib. 2. hist. de peste Athen. e Amb. Cal. vocab. Epidemici. Vide Thucid. li. 2. hist.

Octavo, iuxta medicorum sententiam & experientiam pestem natura sua morbum esse lethalem, contagiosum, & malignitate sua omnes alios superantem, breui admodum tempore quos corripit enecantem. Hinc appellatur nomine latino *pestis* à pascendo, quia (b) (inquiunt) veluti efferatus rabie draco, aut fera venenata ciuitates populosque depascit: Et (c) *morbus* nomine generico, propter excellentiam, quia reliquas omnes ægitudines vi & magnitudine sua longe superat, (d) vel quia grassante peste omnia morborum genera in illud unum conuerti solent, ut plerumque; nulla preter pestem egritudo appareat: Vocatur etiam (e) *epidemia* graeco vocabulo, quia plurimos eodem tempore, eadem in prouincia, ciuitate, & pago, corripere solet: Et *contagio*, quod vnus ab alio pestem concipiat, quam conditionem egregie expressit Lucretius de admiranda Athenarum peste loquens:

*Idque vel in primis cumulabat funere funus.
Quippe enim nullo cessabant tempore apisci.
Ex aliis alios auidi contagia morbi.*

Et

Et est triplex contagionis genus (quod etiam parochos scire non parum interest:) vnum vocant *per cōtactum*, à quo nomen cōtagionis originem habet, vt si quis contingat peste infectū facile pestem cōcipit, sicut si pomū corruptum alia contingat, illa statim corrumpuntur. Alterum *per fomitem*, vt si quis contingat vestes, lintea, indusia, pelles, plumas, pilos, stramina, libros, chartas, & his similia peste infectorū, in quibus sc. ipsa infectio, tanquā in fomite, longissimo quandoque tempore fouet, peste facile corripitur. Tertium vocant *ad distans*, vt si quis hauriat aerem pestiferum à distātissimis subinde locis proueniētem. Quod Atheniēses experti fuerūt, vt (a) Euagr. & (b) Thucid. testant, & Lucreti⁹ hoc carmine:

Ioannes de
Chaisne.

a lib. 4. hist.
c. 28. b supra

*Nam penitus veniens Aegypti è sinibus ortus,
Aera permeisus multum camposq; natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis, omnes
Inde cateruatim morbo mortiq; dabantur.*

c Ioannes de
Chaisne sup.

d Alex. Bene
dict. de febre
pestil. cap. 8.

Demum appellatur *venenum* (c) *aconitale*, sic dictum græcè, quod mortem acceleret, & breui admodum tempore hominē ex hac vita eripiat, quod medicus (d) quidam graphicè hisce verbis descripsit: *Hoc malum miserabile mortalibus ita euenit subito, vt plurimum sine febre inter domesticas ac forenses actiones, vel publica negotia decem horarum spatio, qui-*

A 4 dars

§ DE NECES. ET. MOD. MINIST.

dam viginti, sine vrina pulsusq, venarum certo signo, in vi, in publicis officiis ex insperato rapiantur, ita miseram humanae superbiae ambitionem ostendit seu pernicios, vt homo interdum letus, iucundus, securus, leui temporis momento statim

a Valer. in locis commun. cadat. Et quidam (a) alius. Videas (inquit) non raro syderatorum instar concidere de repente eos, qui peste correpti sunt, cum alioquin his neque pulsus exitialis nec vrina, nec vix vlla aduersa valetudinis signa appareant saniq, videantur, ac statim loquentes & incedentes, tanquam fulmine iecti pereunt, quod à me, addit, sepiissime per pestilentis aeris constitutiones obseruatū fuisse, ea praesertim, quae sub annū 1534. in Gallia Narbonēsis

b Panor. post Host. in c. pastoralis, §. 1. n. 5. de off. cr. c. Gabr. in 4. dist. 15. q. 1. a. 3. Sylu. verb. Interdictum, 5. q. 7. Nau. c. 2. num. 8. d. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. a. 4. vers. Quae ris autem. Valent in 4. dist. 7. q. 10. §. Primo cum panis. parte grassata est, testari ipse possum. Postremo ponimus Doctores (b) Canonistas & nostros (c) Scholasticos verissime asserere, omnes peste infectos esse in articulo mortis, in quo frequēter, & vt plurimū solet mors accidere. Et confirmatur, quia iidem Doctores longe minoribus morbis affectos in illo articulo esse asserunt, vt lathargo, squinantia, dolore laterū, morbo punctulari laborātes, item parturientes, si sint difficilis oris partus, vel sint primo parturiētes, & similes. Neq; distinguim⁹ in hoc tractatu inter articulū mortis & periculum, vt (d) quidam faciunt, dicentes, tunc quempiam esse in articulo mortis, quando mors proxime instat

instat, & moraliter est certa & ferè in-
 evitabilis. In periculo autem, quando est
 probabilis dubium, & frequenter in tali casu so-
 let mors accidere, quia quoad effectus sa-
 cramentorum per quemcunq; sacerdotem
 in absentia proprii ministradorum, & abso-
 lutionis ab omnibus censuris & peccatis a-
 liisq; similibus (de quib⁹ loqui intēdimus)
 iura non distinguunt. Et pbatur ex (a) ca-
 pite, *Si quis suadente diabolo*: & (b) capit. *Non*
dubium, ubi posita utrobique reservatione
 excommunicationis, quod in priori nomi-
 natur periculum mortis, idem in posteriori
 per articulum mortis exprimitur. Et d. ca-
 pitulo, *eos (c) qui*, nunc periculum nunc ar-
 ticul⁹ mortis appellatur. Et suadet idipsum
 optima ratio, quia morale periculum per-
 inde aestimari debet, & in malis ita caueri,
 ac ipse evēctus: propterea enim dictum est,
Qui amat periculum peribit in illo. Deinde quia
 etiam in quibusdam distingui possit periculū
 mortis ab articulo; tamen in casu pestis, in
 quo nunc versamur, moraliter loquendo,
 non possunt distingui, cum omnes peste in-
 fecti in eo sunt statu (sicut loquitur (d) Il-
 lust. Borromæus) ut timendū sit, ne vel ad
 punctum temporis mortem obeant: Et Ga-
 briel (e) Biel absolute & simpliciter asserit,
 illos omnes esse in articulo mortis, & extre-

a ca. 17. q. 4.
 b de sen. excō.

c de sent. ex-
 cem. in 6.

d de cur. pest.
 c. 26. num. 3.

e supra.

ma necessitate. His ita positis quæstio est, an sint ministranda sacra tempore pestis?

Responsio.

Non tñ tempore salubri, sed & maxime pestilentiali ministranda sunt sacra. Probat^r 1. vsu & consuetudine vniuersalis Ecclesie, q̄ semper sollicita valde fuit, vt sacramentorũ ministri cauerēt, ne quem sua negligentia ex hac vita sine sacris migrare pmitterent, p̄ plurimis, iisq; grauissimis

a Nicen. c. 13.

Tolet. 11. c. 15

Agathē. c. 11.

Aranf. c. 13.

Arelat. c. 12.

Aurel. c. 24.

b Richar. in

4. dist. 12. a.

6. q. 1. Durā.

dist. 9. q. 2. a.

2. Gab. q. 7.

Sorius dist. 12

q. 1. ar. 11. &

alii.

Conciliis (a) ostendi potest. Probat^r 2. auctoritate (b) Scholasticorũ, qui oēs docent p̄cepta, quibus sacerdotes obligant^r fidelib. ministrare sacra, maxime obligare in articulo mortis. Tandem pbatur ratione: Paruuli peste infecti, vel de ea suspecti, puta, quia nuper sunt ex matre peste infecta geniti nisi statim baptizent^r, æternæ dānationis piculo exponūt, & adulti peccato mortali obnoxii, nisi quantocius sacris Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Vnctionis muniant^r, plerunq; in eadem spiritali necessitate, & dānationis piculo versant^r, vt in p̄gressu de singulis sacris ostendemus.

Dices: In huiusmodi aŕlo sufficit cōuerſi ad Deum p̄ virtutē pœnitentiæ; sic enim apud Ezech. legimus: *Impietas impij non nocet ei, in quacunq; diuise cōsus fuerit*: sufficit ergo cōuersio ad Deum per contritiōē absque sacramentis.

Resp.

R. Contritionem eo casu admodum esse
 difficilem, & fideles exponi magno salutis
 æternæ periculo, si cum hoc solo remedio re-
 linquatur, ut passim docent Patres, ac præser-
 tim D. (a) Greg. Euseb. (b) Emiffen. & Iohes
 Climachus. Neque obstat si dicas, contritio-
 nem non esse difficilem cum diuina gratia,
 quæ præstò adest homini, si pro ipsum non stet,
 quia sufficit illà difficile esse ex parte homi-
 nis, cum debeat includere puram dilectionem
 Dei super omnia, & augeat grassante peste con-
 tritionis difficultas, tum propter corporum de-
 bilitatem, quæ multum distrahit animum à spiritua-
 lib. præsertim in hominibus vulgaribus, qui com-
 munitè parum sunt in illis exercitati, tum
 propter diuini iudicii terrorem, quo tunc potius
 homo mouetur, quam amore: tum denique
 propter periculum tentationum, vel nimie tristi-
 tiæ vel desperationis, qua facile possent ab-
 sorberi, si à pastoribus, pariter & amicis
 suis deserantur. Confirmatur, quia etsi fieri
 possit, quod hic vel ille veram contritionem pecca-
 torum conceperit, neque (ut apparet) reali sa-
 cramentorum perceptione ad salutem conse-
 quendam egeat: non potest tamen negari,
 quin multo plures sint, qui solam attritio-
 nem conceperint, quæ sine sacramento re-
 aliter suscepto illis ad iustitiam & salutem pro-
 dedisse non potest, ut initio diximus.

a Homil. 29.
 in euang. &
 lib. 24. moral
 ca. 17. & 18.
 b Hom. 1. ad
 monach.
 c De grad. 1
 gradu 7.

QVÆ

QVÆSTIO II.

Quinam teneantur sacramenta ministrare tempore pestis?

Quæstionis explicatio.

DVplex est genus obligationis, iustitiæ & charitatis: Iustitiæ, illorum est, qui ex officio & veluti mercede conducti ad aliquod munus obeundum se obstrinxerunt, ut sunt, qui in publicis officiis & magistratibus se populo & Reip. seruituros sponderunt. Charitatis illorum, qui gratis absque vlla mercede, sola proximi miseria & necessitate impulsus, propter Deum, illi necessaria subministrant: quærimus in primis de illis, qui ex debito iustitiæ, postea de aliis, qui ex sola charitate tenentur, quæsituri.

Responsio.

Pastores tam superiores quam inferiores, tenentur ex debito iustitiæ, quisque pro gradu suo, sacramenta tempore pestis, populo sibi subdito ministrare: quia tam hi, quam illi, ratione dignitatis & officii tenentur procurare salutem animarum sibi commissarum, quod fit maxime prædicatione verbi Dei & sacramentorum ministracione, idque toties, quoties necessitas spiritualis gregis hoc requirit: ad hoc enim decimas, oblationes, & alios ecclesiasticos redditus, velut mercedem recipiunt. Sed tempore gra-

grassantis pestis, cum mors singulis imminet, necessitas spiritualis maxime postulat, ut omnes muniantur sacramentis, siquidē tunc sibi merito quisque timere debet, ne illius contagione, ex improviso corripatur, ut & morbus violentissimus est, ne illo ipso die vel hora ex hac vita imparatus eripatur. Et confirmatur; quia alias populus totus destitueretur ministris, qui sacramenta ad salutem necessaria, vel maxime utilia ministrarent, quod est absurdum, & cōtra omnem catholicæ ecclesiæ disciplinam.

Dixi (*quemq; pro suo gradu teneri*) quia superiores, puta, Episcopi, tenentur ratione dignitatis episcopalis ministrare sacramentū confirmationis & ordinis, idq; per se proxime & immediate: Inferiores vero, ut parochi, tenentur ministrare reliqua sacramenta; quibus deficientibus tenerentur ipsi Episcopi & alii superiores, etiam ex debito iustitiæ, cū & ipsi sint pastores animarum, & illis incumbat spirituales oviū suarū salutē procurare, ut alibi pulchre deducit D. (a) Thomas.

Dices: plerique omnes parochi bene presumunt de salute suorum subditorum, puta, quia sunt catholici, & solent quotannis in paschate sacramēta percipere, nec sciūt, ab illo tempore eos in aliquod peccatum incidisse, ergo saltem stante huiusmodi pre-

a *Quodlib. 1.
artic. 14. §
quodli. 3. art.
7.*

præsumptione pastores non tenebuntur sacramenta ministrare.

R. Est hæc sicut nimis frequens, ita & nimis periculosa quorundã parochorum excusatio, siquidem ut quis illo casu possit ab administratione sacramentorũ excusari, nõ sufficit quælibet præsumptio de bono statu subditorũ; puta, q̄ præsumantur esse in bono statu, q̄a non sciuntur esse in malo, sed debet illis positivè & moraliter cõstare de bona illorũ dispositione, quãvis præsumptione illa negatiua uti quis possit in iis, q̄ favorabilia sunt alteri, non tamen in iis per quæ negatur illi debitũ, cũ periculo saltẽ dubio aternæ damnationis.

Dices, tenentur ergo omnes tẽpore grassantis pestis sacramenta recipere?

R. Diximus modo omnes oportunitissime petere, & (1) Petrus de Ledesma asserit omnes teneri recipere duobus casibus. Primo cũ in ciuitate ita grassat pestis, ut multi quotidie subito moriantur: altero quãdo timef pbabiliter, ne defuturus sit pastor vel confessorius si peste inficiãtur. Ratio potest esse q̄a secũdũ communẽ, tenentur omnes in periculo mortis sacrĩtis se munire, peste a grassante omnes sunt inhãndi piculo, uti dixim⁹

Dices 3. Quale peccatum est non ministrare sacramenta tempore pestis?

Respon-

a 1 part. sum
made poenit.
cap. 9. concil.
4. dub. 1.
Et insinuat
Borrom. de
cura pestil. c.
3. mm. 4.

Est mortale, illudq; tanto grauius homicidio quanto animus est præstator corpore; qui enim tunc populum deserit quantum in se est, sit reus animarū, quæ defectu sacramentorum vel in æternum cruciabuntur, vel diuturniores in purgatorio pœnas sustinebunt: & idcirco huiusmodi animicidæ (a) à sacris canonibus vocantur, dicunturq; ea de re strictissimam Deo rationem reddituri.

a ca. Si presbyter & seq. 26. quest. 6.

Q V Æ S T I O III.

An teneantur pastores sacramenta ministrare cum periculo vitæ?

Quæstionis explicatio.

Pastores teneri tempore pestis sacramenta ministrare, si hoc possint absq; periculo cōtagionis, nemo catholicorū, quod sciā, negat; verū an teneantur quando omnibus circūspectis & tentatis ad vitandum huiusmodi periculū, nihilominus iudicio peritorū nihil proficitur, (b) nō desunt qui dicant non teneri per se & simpliciter, sed tantū in quibusdā casibus. Horū occasione quæritur, an pastores per se & regulariter teneantur ministrare sacramenta peste infectis, quando omnibus tentatis remanet ad huc periculum contagionis?

b Speculatio
Episcopi l. 1.
disp. 1. qu. 1.
Armilla ver
Epis. num. 6
I abien. ecclie
verb. nu. 5.

Responsio.

Teneantur regulariter. Probatum 1. quia hæc

a D. Chryso.
leo. 59. in ioā
D. Aug. ser.
3. de verb. Dō
Ep. serm. 149
de tem. & in
Epistola. ad
Honorat.
D. Gre. in hō
loci Ioan.
10. Theophil.
ibid. D. Tho.
2. 2. qu. 37.
art. 5. & alii.
b Ioan. 10.

hæc est lex boni pastoris à Christo omnium
 pastorum principe præscripta, ut quâdo salus
 gregis hoc postulat, vitam corporalem ponat p
 vita illius (a) spirituali; sic n. SS. patres illud
 Ioannis semper intellexerunt: (b) *Bonus Pa-*
stor animam suam ponit pro ouibus suis Hoc au-
 tem periculosissimo pestis tēpore salus gre-
 gis illud maxime exigit ut ante ostensū est,
 deinde parochus tenetur nō solum ex cha-
 ritate, sed etiā ex iustitia populo suo sacra-
 menta illo tempore ministrare, ut ex dictis
 patet: ergo hæc obligatio vrget etiam cum
 periculo contagionis & vitæ corporalis, nā
 ad aliquid amplius tenetur parochus in eo
 casu quā alius, propterea n. (vt diximus) ali-
 tur à populo & decimas percipit, ut tēpore
 quo oues ab aliis deserunt ipse subueniat.
 Præterea dux militiæ corporalis obligatur
 occurrēte pugna occasione vitam suam cor-
 poralem periculis exponere, ergo magis pa-
 rochus qui est dux militiæ spiritualis, tene-
 tur occurrēte pestis grassatione qua subditi
 maxime spiritualis pugnae discrimen ob-
 eunt, vitam corporalem periculū adire, mini-
 strando sacramenta, que ad vincēdos illius
 temporis insultus, & periculosissimas, qui-
 bus exponuntur, infidelitatis, desperationis,
 & impatiētiae tentationes, sunt arma oportu-
 nissima. Dixi (si aliter periculū vitari nō pōt)
 quia

quia propria charitas obligat pastorem ad procuranda media conuenientia ad illud vitandū, & (a) Communitas ipsa obligatur prouidere pastoribus de antidotis & remediis ad præseruationem illorum. Et ipsi peste infecti tenentur se accommodare & accedere ad sacramenta, minimo quo fieri potest periculo pastorum, vt bene notauit (b) Borromæus, vt in progressu latius patebit.

a *Gabr. Biel.*
q. de fuga pestis. Franc.
Rip. de peste.
c. de remed.
m. 2. & seq.

b *Borrom. de*
cura pestilē-
tia, 6. 15. n. 20.

Dices, tenentur ergo Communitas & ipsa peste infecti adhibere omnia remedia possibilis ad vitandum tum in se, tum in aliis contagionis periculum?

R. Non tenentur. Si quidem præceptum de conseruanda vita siue sua, siue alterius cum sit affirmatiuum, nõ obligat nisi quodam morali modo, proinde non tenentur omnia facere quæ videri possunt conuenire & conducere ad vitam conseruandam; alioquin eadem ratione deberemus damnare illos qui grassante peste non migrant ad salubriorem regionem, similiter qui non emerent omnes eas res præseruatiuas, quæ illo tempore à Medicis præscribi & excessiuo pretio vendi solent, quin & illos qui non vterentur his & illis delicatioribus cibis, quibus nobiles & ditiores tunc vtuntur; de quibus & similibus vide

B Franci,

an. 9. & 13. Franciscum à Victoria (a) relectionibus de
 bn. 24. 33. & temperantia & homicidio (b).
 34.

Dices 2. Obligatio subeundæ mortis, quæ hominibus maxime terribilis est, non debet affirmari, nisi diuinum de hoc mandatum palam constiterit : sed vbi Christus (c) ait : *Bonum pastorem pro ouibus suis animam dare*, Consilium magis significare videtur quam præceptum.

Ioan. 10.

R. Non consilium sed legem & præceptum à Christo dari, vt ex Patribus & ecclesiæ Doctõribus ante citatis videre est : Neque lex illa nimis terribilis debet videri, tum quia omnes res temporales ad hoc à Deo creatæ sint vt promoueant salutem hominum spiritualem, tum quod Christus ipse Deus & homo vitam omnium rerum temporalium præstantissimam pro salute ouium suarum posuit, naturalis ergo & diuinus ordo postulat, vt qui in ordinem pastorum animarum coaptari volunt, eandem obligationem subeant, vitamque corporalem pro illarum salute spiritali profundere parati sint, vt bene notauit

Sotus. (d)

à de iustit. &
 iure, lib. 10.
 q. 3. art. 1.

Quæstio

Quæstio quarta.

Si Pastor metu contagionis non auserit sacramenta ministrare, an licebit illi loco cedere, & Sacerdotem qui vices supplcat substituere.

Quæstionis explicatio.

Pastores quibus incumbit sacramenta & alia ad salutem necessaria peste infectis ministrare, nisi magna salutis proximi charitate ardeant, frequenter subditis in hac necessitate cõstitutis seruire detrectat, conquisitis multis siue veris, siue falsis, siue iustis siue iniustis excusationibus. Qui morbus cum sit ipsa peste corporali longe deterior, utpote qui parochorum animas sub prætextu salutis corporalis, lethali veneno inficiat, necnon fidelium illis concreditorum salutem, quæ à ministerio pastorum pendet, æternæ damnationis periculo exponat, animus est passim in hoc tractatu huic morbo mederi, subterfugiisque & excusationibus, quas huiusmodi obtendere solent, respondere. Horum ergo occasione quæritur primo: An excusetur pastor, si à parochia sua recedat cum licentia superioris, constituto alio sacerdote, qui eius nomine sacramenta administret?

B 2

Responſio

Responsio.

Pastor recedens à parochia sua, cum licentia superioris, excusatur; si modo loco suo constituat alium sacerdotem sufficientem, & ab Ordinario approbatum, nec ipse pastor ita longe à grege suo absit, quin curam aliquam moraliter possibilem illius habeat. Ratio est, quia hoc pacto pastor satisfacit legi & obligationi qua gregi obstringitur, qui enim quod debet per alium soluit sufficienter soluisse dicitur.

Dixi (*cum licentia superioris*) propter Concilium Tridentinum, quod vult quemcumque curam animarum habentem à grege suo abesse non posse sine causa, eaque per Christum cognita.

Dixi secundo, (*si modo constituerit loco sui sacerdotem sufficientem*) propter illos qui ita ignaros, vel ita improbae vitae sacerdotes substituunt, ut merito timere debeant eos non ritè, vel non integre functuros esse officio pastorali, hi enim non liberantur ab obligatione, qua tenentur sufficienter consulere salutem suarum ouium,

Dixi tertio, (*& ab Ordinario approbatum*) propter illos, qui etsi probatae vitae sacerdotem suo loco ponant, sufficientisq; forsitan eruditionis, non tamen curant illos per examinatores approbari. Si quidem ordi-
nariè

narie tales nihil possunt in foro conscientie, per illa quæ nouissime Concilium Trident. (a) definiuit, & Illustriss. Cardinales (b) ad interpellationem Concilii Tridentini deputati responderunt.

a Sess. 23. c. 13
de reform.
b declarat.
254.

Dixi postremo, (*Nec pastor ita longe à grege suo absit, quin illius curam aliquam gerat*) quia cum pastor teneatur gregi suo onere personali secundum nostros Doctores, non potest simpliciter illam deserere sine magno illius periculo, debet ergo ad minus illi curam illam & prouidentiam ut absens corpore, animo præsens sit, & quantum in se est agat, ne quid illi necessariorum ad salutem desit.

Dices: Quid si Episcopus nolit dare facultatem alium substituendi, poteritne sine eius licentia populum deserere?

R. Episcopum non debere facile hanc facultatem negare: Si tamen iudicauerit necesse esse bono communi, ut pastor apud gregem suum maneat, neque ab illo discedat, tenebitur parere, illius mandato, quia præceptum hoc per se est iustum, & ad Episcopum spectat habere curam boni communis, eius ergo ea in re voluntati & iudicio standum est.

Dices secundo: Quid si non possit haberi sacerdos approbatus, nec pastor ausit,

B 3 nec

nec velit sacramenta ministrare, & periculum est in mora.

*a De consue-
tud. c. perue-
nit.*

R. Eo casu quemtuncque sacerdotem etiam non approbatum posse imo debere ministrare, quia (a) *necessitas caret lege, neque ulla lex est quæ tunc prohibeat.*

Quæstio quinta.

*An liceat illi si neminem reperire possit, qui vices
supplere velit, ad bimestre saltem ex licentia
Episcopi curam Pastoralem
deserere.*

Quæstionis explicatio.

*b Sess. 23. c. 1.
de reform.
c Cancil. Eli-
bert. cap. 21.
Trid. sess. 25.
de refor. c. 1.*

ET si personalis residentia pastorum sit iuris diuini, nihilominus Concilium Trident. concedit Episcopis & aliis inferiorib. curatis, vt ad duos aut ad summum tres menses abesse possint. Cum ex veterum canonum sententia *non videantur abesse qui statim reuersuri sunt.* Idcirco quærent quidam an grassante peste possit pastor saltem pro tempore à Concilio Tridentino concessa ex licentia Episcopi abesse, & à ministracione sacramentorum excusari.

Responso.

Nequaquam: quia illud tempus est quo præceptum de residentia personali maxime obligat, puta, quando omnis vel ferme omnes sacramentis, exhortationibus
& do-

& doctrinis piis & aliis ad salutem necessariis imprimis indigent, & licentia abessendi, quæ à superiore aliquo tempore concedi solet, non conceditur intuitu boni priuati personæ pastoris: sed publici sine ecclesiæ, vt expresse Concilium Tridentinũ declarat. Cum vero bonum publicum & spirituale totius gregis præsentiam pastoris pro illo tempore, iure diuino, exigat, nemo pro eò tempore dispensare poterit.

Dices, non alia obligatione tenetur, seruire populo suo pastor, quam Episcopus: Sed Episcopus non malefacit si à ciuitate vbi serpit pestis, discedat, dummodo absens corpore animo saltem prouideat quantum in se est salutem populi, poterit ergo & pastor nullo relicto vicario à populo recedere.

R. Magnam esse hac in parte differentiam inter Episcopum & pastorem. Nam (a) Episcopus est in sua diœcesi, veluti causa quædam vniuersalis, quæ per se & immediate, non operatur particulates effectus, nisi casu necessario & raro, de quo postea, ideoque regulariter non est alligatus vni parochiæ, vel oppido siue diœcesis, pastor autem est veluti causa particularis astricta immediatè ad ea, quæ ipsi ab Episcopo sunt demandata, vt est ministrare sacra-

a D. Thom.
quodl. 1. art.
14. vt. 3. ar. 7.

B 4 menta

24 DE NECES. ET MOD. MINIST.
menta fidelibus talis vel talis parochia,
quocirca illi vel illi parochia est alligatus.

Quaestio sexta.

*An Pastor possit illo tempore cura Pastoralis
renunciare?*

Quaestionis explicatio.

*¶ 19. q. 2. duo
sunt.*

Possunt parochi iure (a) communi etiam sine licentia superiorum relicta cura pastoralis ad statum religionis transire. Sicut enim Urbanus Pontifex: *Si quis in ecclesia sub Episcopo proprium retinet & seculariter viuit, si afflatus Spiritu sancto in aliquo monasterio vel regula canonica saluare se voluerit, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate.* Imo secundum doctrinam D.

*b 2. 2. q. 184.
art. 3. & ibid.
commenta-
tores.*

(b) Thomae & aliorum possunt ad humiliorum simplicium sacerdotum statum sine Episcopi licentia descendere: Idcirco quaeritur hoc loco, si parochi non possint illo tempore ex licentia Episcopi excusari à residentia personali & ministracione sacramentorum, an saltem excusabuntur simpliciter curae pastoralis renunciando, & ad religiosorum vel etiam ad humiliorum simplicium sacerdotum statum transfundo.

Respon-

R. sponſio.

Non excuſabuntur: Nam pro illo tempore ſunt conducti, vt ſacramenta & alia ad ſalutem neceſſaria miniſtrent, non poterunt ergo illo neceſſitatis tempore renunciare: Et confirmatur à ſimili. Quid enim abſurdius, quam ſi miles ad bellandum conductus illo temporis articulo muneri ſuo vellet renunciare, cum iam pugnandum eſt? Neque obſtat ingreſſus religionis vel deſcenſus ad humiliorem ſtatum, quia cum hoc temporis articulo ſit obligatus huic populo ſeruire, ob idq; ab eo toto anno victum & ſtipendium acceperit, non poteſt illo tēpore alteri cuiſcunq; in præiudicium illius operam ſuam locare.

Dices; Pontifex non vult Parochos qui ad perfectiorem ſtatum tranſire volunt aliqua lege retineri, quia priuata lege Spiritus ſancti ducuntur: Ergo excuſabuntur etiam non obtenta licentia Epifcopi.

R. Pontificem non loqui in caſu de quo agimus, ſed in eo, cum facile eſt ſuperiori de altero ſacerdote providere. Alioqui ſi nō poſſit providere ſuperior, & paſtor voluerit gregem deſerere, non ducetur lege Spiritus ſancti, ſed proprii cerebri populū ſuum in tanta neceſſitate ſpirituali contra legem charitatis & iuſtiæ deſerendo.

B § *Quæ*

Quaestio septima.

*Si Magistratus timet, ne Pastor moriatur postea
nec possit de alio prouideri, an saltem illo
casu Pastor ab administratione sa-
cramentorum excu-
setur.*

Quaestioni explicatio.

Casus est talis, est in oppido parochus
magnae eruditionis pietatis & prudē-
tia, qui non tantum sacramēta dispensare,
sed pro doctrina & eloquentia sua nouit
populum suum ad pietatem erudire, con-
tra hereticos defendere, in pace & concor-
dia ponere, bonum publicum non solum
in spiritualibus, sed etiam politicis & tem-
poralibus promouere, timet Magistratus
ne si aëre pestilentiali ministrando sacra-
menta corripatur ipsis pereat, nec facile
talem consequatur. Queritur an isto saltē
casu, pastor excusetur tunc ab administra-
tione sacramentorum.

Responsio.

Nequaquam; Etenim moraliter loquē-
do vanus est hic timor, praesertim in his
partib⁹, ubi Dei beneficio, plurimi sunt sa-
cerdotes ad praescripta munia spiritualia,
maxime idonei, inter quos saltem aliqui
reperientur, qui in huiusmodi casu neces-
sitatis

sitatis spiritualis, non fugient vitæ periculum, vt animabus succurrant, pro quibus Christus mori dignatus est, & vt iustus timor videri possit, non potest tamen, quicquid vulgus existimet, iure excusare pastorem ab hoc officio. Quia cura & sollicitudo de alio pastore non spectat proprie ad magistratū, sed ad Episcopum, & vt demus, ad ipsum suo modo spectare, tamen quia pastor cum curam animarum suscepit, subiecit se legi (a) Christi, quæ est, vt bonus pastor *a Ioan. 10.*
ponat animam suam pro ouibus suis, tenetur, vt gente maxime eiusmodi temporis articulo, Christi exemplo legi parere.

Dices: Prudentis est vitam conseruare vt diuturniori tempore seruire, & plurimum animas lucrari possit; poterit ergo pastor saltem si solus sit, nec spes sit, posse alium haberi, se à ministracione sacramentorum vt vitæ suæ consulat excusare.

ꝛ. Eo casu pastorem teneri pro ratione fortunarum suarum emere præseruatiua quæ à medicis præscribi solent, quo periculum euadat & populo se præseruet, vt ante obiter diximus. Etenim si tenetur vitam corporalem pro salute spirituali subditorum profundere iuxta legem à (b) Christo bonis pastoribus præscriptam, quanto magis fortunas suas? *b Ioan. 10.*

Magistra

*¶ Maior. in
a. dist. 23. q. i.
Barrom. de
cura pestile-
tia c. 10.*

Magistratum quoque in eodem & simili-
libus casibus teneri ad (a) remedia proci-
randa, quæ periti & experti Medici iudi-
cant utilia ad aerem pestilentem purgan-
dum, puta vt auferantur sordēs ex plateis,
vt infecti extra ciuitatem ad hospitale salu-
bre deducantur, vt ignes publici per pla-
teas construantur, vt cadauera mortuorum
ad sacrum locum asportentur, vt habeantur
medici Apothecarii, & alii qui agris
seruiant, & alia eiusmodi, quæ in oppidis
bene ordinatis tempore pestilentiali ob-
seruari solent; Ad hoc enim assumpti sunt
in magistratos, patres, & dominos plebis, vt
sua prudentia & auctoritate prouideant
tempori, ne quid per negligentiam vel ali-
ter exoriatur, unde perniciēs, siue corpo-
ralis siue spiritalis, Reipublicæ obueniat.

Similiter Episcopum & alios superio-
res ecclesiasticos teneri, diligentem curam
adhibere, ne sacerdotes desint, qui populo
sacramenta & doctrinam salutarem dispē-
sent, & si plures nancisci possunt, vt illis in-
primis parcant, qui in maioribus & graui-
oribus officiis populo possunt esse utilio-
res. Quæ omnia non difficulter colliguntur
ex debito officii Episcopi & magistratus
& aliorum; quæ de debito & ordine charitatis,
partim diximus, partim in sequentibus
oportet

opportuniore loco, dicturi sumus.

Quod si omnibus adhibitis idem semper ingruat periculum, ut Episcopus nullum alium sacerdotem reperire possit, pastorem illis non obstantibus teneri sacramenta ministrare, iuxta dictam legem à Christo præscriptam, & certè imprudentis esset & degeneris animi, velle vitam tunc seruare cum maxime iussu Christi Domini, gloriose profundenda est.

Dices primo, Tenentur ergò Magistratus tam ecclesiasticus quam ciuilis curare, ne corpora eorum, quæ peste pereunt, inhumata iaceant?

R. Maxime, hoc enim ad bonum Reipublicæ commune pertinet, ne putrefactio & corruptio vnius inficiat reliquos. Imò si quis absq; suo incommodo facile mortuum sepelire quæat, & alius non sit, qui id faciat, in re naturali compellitur eum sepelire, quia tali casu præceptum misericordiae obligat.

Dices secundo. Licet quoque Magistratus eicere ciuitate peste infectos aut de ea suspectos siue pauperes, siue diuites, ne ceteri inficiantur?

R. Simpliciter & per se licere, quia bonum publicum præferendum est priuato; certum est enim moraliter loquendo, non posse

posse melius corpus Reipublicæ seruari, quam si membra infecta amputentur & a corpore semoueantur; Dixi; *per se & simpliciter*, quia non licebit si per hoc peste infecti vel de ea suspecti exponantur periculo salutis animæ vel corporis. Siquidem & si humanæ prudentiæ sit, vitare peste infectos, tamen contra dilectionem & Christianam pietatem est, substrahere peste infectis animæ & corpori necessaria. Deinde secundum Gabrielem (a) Biel non sunt permittenda, minus procuranda certa pericula proximi, propter incerta pericula sui: Sed periculum proximi in extrema necessitate constituti certum est, si nõ succurritur, periculum autem infectionis ex contagio non est certum, cū plurimi peste infectis assistentes euadant illæsi experientia teste, (b) *vbi autem maius est periculum, cautiùs est prouidendum.* Præterea impiù est, & contra regulam Apostoli non condolere miseriam proximi: *Gaudete inquit, cum gaudentibus, flete cum flentibus, & alter alterius onera portate, sic adimplebitis legem Christi.* Timere tandem debent sic fugientes & eicientes proximos in tali necessitatis articulo tremendam Domini sententiam: *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Inter causas enim huius terribilis sententiæ etiam hanc assignat

a Gabr. Biol
q. de fuga pestis, conclus.
4. s. 6.

b gloss. in c.
cum infirmitas, de panit.
& remiss.

Roman. 2.
Galat. 3.

Matth. 25.

assignat Dominus: *Infirmus fui & non visitastis me.* Adde quod crudele est; *Addere afflictionem afflicto,* contra hos enim in persona Domini dicitur: *Quoniam quem percussisti persequuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* *Psalm. 69.* Auertat Dominus imprecationem quæ sequitur: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitia tua, deleantur de libro viuentium & cum iustus non scribantur.*

Quæstio octaua.

Si Populus sit exiguus, vt ruri accidit, & potest facile cum Pastore ad locum salubriorem migrare, an teneatur illo casu populus Pastorem sequi, an contra Pastorem apud populum manere.

Quæstionis explicatio.

IN nonnullis diœcesis Leodien. partibus pagi propter soli sterilitatem paucas familias continent, sunt enim subinde duntaxat sex septem vel octo, quæ tempore pestis possunt cum pecore & reliqua sua substantia sine magno incommodo ad alium locum salubriorem se conferre. Atque

que ita parochus exoptulat, populus
contradicit: Quæritur, quis cui cedere te-
neatur?

Responsio.

SI vt supponitur Grex fidelium sit exi-
guus, puta duarum, trium, quatuor vel
paulo plus familiarum, qui facile possit si-
ne magno rerum ad vitam sustentandam
necessariorum incommodo locum muta-
re, & pastorem suum sequi, tenebitur hoc
facere, quia populus lege & ordine chari-
tatis tenetur vitam sui pastoris pluris face-
re, quam parvam aliquam iacturam rerum
temporalium: Secus si populus non possit
sine notabili detrimento rerum ad susten-
tandam vitam suam necessariorum, quia
populus non tenetur vitam suam & fortu-
nas ad illam sustentandam necessarias ex-
ponere pro salute vitæ corporalis sui pa-
storis: Siquidem lege naturæ & ordine
charitatis quilibet plus amat vitam suam
corporalem, quam vitam corporalem al-
terius, ideoque tunc tenebitur pastor
populo suam præsentiam pro ministra-
tione sacramentorum exhibere, quam-
vis populus sit laudabiliter facturus, si pro
vita corporali pastoris sui conservanda,
velit vitæ suæ vel rerum suarum etiam ne-
cessariorum detrimentum pati: Nam &

ita

ita Christus (a) ait. *Maiorem charitatem nemo* ^{a 1. Ioan. 3.}
habet, quam ut animam suam ponat quis pro a-
micis suis. Quod (b) & D. Chrysoſtomus sic ^{b lib. 2. de}
intelligit, ut sit signum magnæ charitatis, ^{Sacerdotio.}
velle vitam corporalem exponere pro vita
alterius. Et legimus apud veteres Patres,
& grauiſſimos authores, commendari eos
qui pro amicis vel occubuerunt, vel magna
damna & incommoda perpeſſi ſunt, ut ex-
ilia, carceres, & huiusmodi, ut D. Baſilium ^{c supra.}
apud (c) Chryſoſtomum, S. Paulum apud ^{d lib. 3. dial.}
(d) D. Gregorium, (e) Sanctulum Preſbite ^{cap. 1.}
rum apud eundem, & ethnicos quosdam, ^{e apud eund.}
ut Piladem & Orestem, siue veros siue fal- ^{c. 17.}
ſos homines, apud (f) Ambrosiũ, (g) Hi- ^{f lib. 3. offic.}
eronymum, (h) Auguſtinum, (i) Lactanti- ^{c. 13.}
um, ſicut & communi hominum æſtima- ^{g in cap. 7.}
tione bene & laudabiliter faciunt famuli & ^{Mich.}
famulæ, qui tempore pestis exponunt peri- ^{h l. 4. Conf.}
culo vitam suam, pro vita corporali domi- ^{c. 6.}
norum: ſimiliter & medici, & chirurgi, & ^{i l. 5. In. c. 18.}
alii ſeruitores publici, qui suam exponunt
pro incolumitate ciuium.

Dices: Homo non est dominus vitæ suæ
ſed tantum custos, ergo non poteſt pro pa-
ſtore, quamuis amico & probò, illam pro
libita profundere: ſic argumentatur Du-
randus.

^{In 4. diſt. 17.}
^{q. 6.}

¶. Antecedens hoc ſenſu verum eſſe, quia

C homo

homo sine causa non debet vitam suam periculo exponere, sed sicuti pro Deo interdum id potest facere, etiam si non sit necessarium, ut notum est, ita etiam pro amico, maxime patre suo spirituali, si, ut praesupponitur, aliqua iusta subsit causa.

Dices secundo: Modus charitatis erga proximum, metiendus est ex charitate erga seipsum, debet ergo magis seipsum, quam proximum amare: non poterit ergo subditus pro vita corporali sui pastoris vitam suam exponere, quia hoc esset invertere ordinem charitatis: Ita quoque Durandus.

R. Antecedens hoc sensu verum esse, quia homo habet ius prius ad vitam suam conservandam, quam alterius, sed potest ex charitate iuri suo cedere, praesertim cum ad bona huius vitae pro se nunquam obliget charitas & persona pro qua cedit est publica, Republicae multo utilior, salutis populi quodammodo necessaria.

Quaestio Nona.

*An teneantur Pastores adesse peste infectorum
ingredi, ad ministranda il-
lis sacramenta*

Quaestionis explicatio.

Non parvam tergiversandi in ministerio sacra-

sacramentorum materiam parochis preber
 ingressus ædum peste infectarum. Primū
 enim cū oportet ægrum causa sacramen-
 ti propius accedere, fit præsentius & magis
 ac magis certum contagionis periculum,
 quod in descriptione pestis non tacuit (a)

Ouidius, sic enim ille:

a l. 7. Met.

*Quo propior quisq; est, seruitq; fidelis ergo
 In partem lethi citius ille venit,*

Et rursus.

Inq; ipsos seu a medentes,

Erumpit clades obsunt auctoribus artes

Deinde subinde iacent in ædibus infectis,
 deserta defunctorum cadauera, quæ non
 solum domos ipsas, sed & pagos & vrbes
 circumquaque vitiosis vaporibus & exha-
 lationibus inficiunt, & recte dixerat idem
 Poëta:

*Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus aura,
 Peruenit ad miseros damno grauiore colonos*

Pestis & in magna dominatur mœnibus vrbis.

Subinde enim in cubiculis & lectis pariter
 iacent peste infecti, qui vomitu, excremē-
 tis & aliis huiusmodi fordibus pestiferis, p-
 sentissimum ingredientibus exitium com-
 minantur: Subinde quoque ipsi ægroti vt
 & magnitudine pestilentia in amētiā &
 furorem acti, loca imperuia propemodum
 penetrant, ibique se abscondunt, sicut lu-

Et uos illo anno 79. vidimus, ut non sine graui discrimine pastor ad illa cum Sacramentis ingrediatur. Quamobrem non immerito (ut apparet) quæri solet? An pastor ut ministret sacramenta, teneatur ædes, cubicula, penaria, & alia huiusmodi peste infectorum latibula ingredi: An verò ab illorum ingressu, & Sacramentorum administratione tunc excusetur.

Responsio.

*Maior in 4.
diff. 23. §.
Quariorum quaeritur.*

Primò tenentur pastores ingredi, nõ obstantibus prænarratis impedimentis & vitæ periculo, cū ea tamē moderatione, quam superioribus quæstionibus. adhibuimus, ne quid frustra repetamus.

Secundò, non tenentur, si peste infecti iis sint viribus, ut possint egredi in locum apertiorē & salubriorem, & ministratio- ni Sacramenti magis cōgruum, quia illo casu tenetur vitæ corporali pastoris consule- re, nec sine causa illum mortis periculo exponere.

Dico: (*In locum ministratio- ni Sacramento- rum congruum*) quia si æger pro Sacramenti Eucharistiæ ministratio- ne, rogaretur egredi tempore pluuioso, ventis spirantibus in agrum niuibus, grandine, & sordibus ple- num, non teneretur egredi, sed potius pa- stor ad illum ingredi, quia illis circumstā- tiis

tiis positis, cum moraliter loquendo non possit illud sacramentum sine irreuerentia & periculo ministrari, præferenda esset reuerentia sacramenti vitæ corporali ipsius pastoris, vt ex iis quæ D. Thomas disputat de virtute religionis facile colligi potest.

Tertio non tenetur pastor ingredi, si ipse aliter commode & reuerenter sacramentum administrare possit, puta ex fenestra confessionem subditi audire, vel illi viaticum ministrare, vel alijs modis.

Dices, quid si pastor nolit ingredi, nec agrum ad se venire, quamuis commode possit, quia præsentiam peste infecti abhorret, sed velit ministrare sacramenta vel per interpositam personam, vel per alia intermedia instrumenta, tenebiturne ager voluntati pastoris acquiescere?

Respondebimus suis locis, cum de singulis sacramentis seorsum agemus.

C 3

QVÆ-

Q V Æ S T I O X.

Si bis vel ter Pastor accessit ad es peste infecti, & toties ad sacramenta suscipienda imparatum inuenit, an sit deinceps ab administratione sacramentorum excusatus, an vero teneatur sepius ingredi, & quoties.

Quæstionis explicatio.

MUlra accidere solent peste infectis quæ eos à sacramentorum perceptione pro tempore impediunt: Subinde enim tantis capitis doloribus corrumpuntur, ut delirent, nec verbū audire sustineāt, frequenter tanto obruuntur somno, ut vix eos excitare quispiā possit. Subinde (quod grauius est) hæreseos peste sunt correpti, ut experientia nos docet, quamuis Catholici haberi & reputari velint, qui idcirco adueniente cū sacramentis pastore se non posse loqui aut audire, aut quid aliud grauius fingunt, videlicet, ne ex vna parte ab hæreticis irrideantur si sacramenta percipiant, & ex altera à Catholicis excusentur si sine sacramentis decedant, nec illis ecclesiastica negetur sepultura: Idcirco quæritur: An pastor, si bis vel ter pro ministracione sacramentorum ingressus fuerit, ab vltiori ingressu excusetur. An vero teneatur pluries ingredi

ingredi & sacramenta offerre, & quoties.

Responsio.

Distinguendum est: Aut enim eger ad suscipienda sacramenta imparatus est ex natura & qualitate morbi, vt ante indicauimus, aut ex fragilitate & negligentia, aut voluntate & malitia.

Si de primo & secundo casu sit sermo, non sufficit pastori agrum bis aut ter frustra accessisse: sed debet vltterius curam gerere, vt aeger ea quæ ad salutem necessaria sunt suscipiat, videlicet adhibito prudenter inspectore, qui horam & tempus indicet, quando paratus erit ad suscipienda sacramenta vel alia simili morali & sufficienti diligentia, hoc enim sollicitudo pastoralis officii postulat, quam graphice depinxit Salomon (a) his verbis: *Fili mi, spondisti pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus, fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidiste in manum proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis: Nec dormitent palpebre tue, eruere quasi damulla de manu aucupis.* Illis enim verbis iuxta ^b *Ex reg. in sensum (b) mysticū monentur hi qui officium pastorali. p. 3. regēdi alios susceperūt, vt quāquidē pro aliis c. 5. ante me-*

C 4 *ipopon-* ^{dizta.}

spoponderunt seque obligarunt, omnem dent operam, ne spolio sit eis noxia, id autem fiet si curent sua diligentia, ut si pro quibus obligati sunt, suum faciant officium.

Si sermo sit de postremo, quia ponimus agrum malitiose pastorem cum sacramentis remittere, neque illi aurem præbere vellet, non tenetur amplius ad eum cum sacramentis redire, tum quia hoc esset sine fructu vitam suam periculo exponere, quod est temerarium & contra propriam charitatem, tum quod hoc esset (a) *Margaritas proicere ante porcos*. Fieret enim irreuerentia sacramentis. Postremo, quia scâdalum daretur infirmis, qui hoc pacto sacra mysteria irrideri conspicerent.

Dices primo; Quantam curam & sollicitudinem debet adhibere pastor in visitandis peste infectis & aliis egentibus sacramentis.

ꝛ. Sufficere moralem, quam scilicet pastores non negligentes ac timentes Deum adhibere solent: Sane (b) si prælati quoad damnum rerum ecclesiasticarum tenentur, non solum de dolo & lata culpa, sed etiam de leui, quanto magis quoad damnum animarum?

Dices secundo; Quid, postremo hoc casu posito, faciet deinceps pastor, puta si æger

b *Solut.*
verb. *prolat.*
num.

ger eum remisit, nec aurem præbere voluit.

R. Reliquum esse, vt talem velut ecclesie inobedientē, & de hæresi vehementer suspectum, ad Episcopum referat, qui eum iuxta canonicas sanctiones corrigat.

Q V Æ S T I O X I.

Si Pastor in vmbone ecclesie præmonuerit subditos, vt antequam peste corripentur sacramenta peterent, illa autem neglexerunt, aut etiam contempserunt, an teneantur nihilominus illos postmodum peste infectos accedere & sacramenta ministrare.

Quæstionis explicatio.

Non defuerunt parochi, qui vt à sacramentorum administratione contagioso tempore se excusarent, putarent sufficere, si subditos suos præmonuissent, vt in tempore (prout loquuntur) dum sani sunt, illa percipiant. Horum occasione quæritur, an huiusmodi præmonitio, si subditi non paruerint, à sacramentorum administratione excuset.

Responsio.

Non excusat, quia negligentia & contemptus subditorum non priuat eos iure quod habent ad sacramenta, poterunt ergo postmodum repetere, & consequenter

C 5 ter

ter pastores tenebuntur illa ministrare, si-
quidem non obstante negligentia manent
subditi ipsis pastoribus, & pastores ma-
nent ipsorum pastores vt patet; Deinde si
subditi præmonitioni pastoris paruissent,
& sani sacramenta percepissent, nihilomi-
nus non amisissent ius ad sacramenta pe-
tenda concepto iam morbo, puta Eucha-
ristiam, per modum viatici & sacramen-
tum pœnitentię si in peccatum mortale in-
cidissent, ergo possent illa tunc petere, &
illi tenerentur dare.

Dices: Quæ & quanta est culpa negli-
gentia subditorum præscripto casu.

R. Difficile est propter varietatem cir-
cumstantiarum, quæ communiter in hoc
casu incidunt aliquid certi dicere: Primum
enim fieri potest, vt non sit tanta necessitas
percipiendi pro illo tempore sacramenta,
puta quia necdū pestis sæuire & grassari ce-
pit. Deinde fieri potest vt quidā differant,
non tamē reculent, quin forte ad illa perci-
pienda interea se pparant, talis negligentia
(si negligentia dicenda sit) vel venialis vel
nulla erit culpa, fieri quoque potest, imo
frequens est, vt pestis quotidie latius graf-
setur, & quotquot corripit statim enecat,
verum ex in deuotione, & quia non affi-
ciuntur ad sacramenta, puta, quia cogi-
tant

tant se non teneri ad illa percipiēda, nisi in Paschate vel articulo mortis, de quo ignorant vim morbi, non cogitant, & sic susceptionem illorum de die in diem, & de hora in horam differunt: huiusmodi negligentia, vel erit culpa venialis valde crassa vel mortalis, cum propter indeuotionem ad sacramenta necessaria, quam non sunt solliciti tali temporis articulo excutere, tum propter periculum cui se exponunt, non recipiendi sacramenta, iuxta illud (a) *Qui amat periculum, peribit in illo.* a Eccl. 3. 4.

Dices ulterius; Quæ & quanta est culpa contemptus.

R. Repertus fuit Leodii anno illo luctuoso 1579. qui pastorem suum, plus iusto vt existimabat sollicitum, veluti pusillanimum videret, & præmonitionem illius sanctam & maxime salutarem (cum tamen periculum subesse ignorare non posset) contemneret, qui die sequenti correptus peste, in pœnam forte sui contemptus subita morte sine sacramentis decessit, verendum est, ne huius & similium culpa, sit grauis & mortifera.

QVÆ.

Q V Æ S T I O. XII.

Si Pastor dicat sacrum, & vocetur ad agrum iam moriturum, an teneatur sacro relicto

*Sacramenta egroto ministrare
aut pro illo tempore
à ministracione
excusetur.*

Quæstionis explicatio.

Incumbit parochis tempore pestis non solum male habentibus, sed & sanis seruire tum in missæ sacrificiis celebrandis, tū in aliis Christianæ charitatis officiis exercēdis, modo suboritur cas⁹ talis: pastor est intentus pio operi in gratiam suorum subditorum, cui dum vacat, accersitur ad peste infectum, vt sacramētum illi ministret, tenebitur ne relicto quocunque pio opere & præsertim sacrificio missæ diē dominico ad agrum currere, & sacramenta ministrare. An vero à ministracione tantisper excusetur?

Responsio.

Tenetur relicto quocunque pio opere etiam missæ sacrificio, sacramenta ministrare, quia vt communiter doctores notant, quādo duo præcepta affirmatiua peragenda simul concurrunt, nec vtrique simul satisfieri potest, (a) illud negligendum est, ex quo minora incommoda consequuntur.

*a. c. duo mala
distin. 13. ex
Conc. Tolet.*

quuntur. Ergo si omnibus perpensis quæ pastor prudens & timoratus pro ratione tantilli temporis perpendere potest, videat grauius incommodum sequi si negligat ægroto sacramenta ministrare, puta eius desperationem & æternam fortè damnationem, & ex altera parte resarciri posse, si quæ alia nascuntur ex omissione alicuius alterius operis, vt missæ, puta quia adhibito custode omnia paramenta necessaria ad sacrum faciendum, vel etiam ipsa hostia & calix consecratus sine scandalo aut alio periculo custodiri possunt, & considerat statim se redire posse, vt sacrû missæ officium perficiat, tenebitur peste infecto ministrare sacramenta, sacro vel quocunque alio opere quamuis sancto relicto, & postmodum ad sacrû missæ officium peragendum redire.

Ratio huius regulæ videtur esse quia in tali casu prudētia moralis dicitur (a) *ē duobus malis eligendum minus.*

a D. Gregor.
lib 32. Mora.
cap. 40.

Dices. Quid si relicto altari & populo qui ad sacrum audiendum conuenit, nascatur scandalum, tenebiturnè etiam pastor non obstante huiusmodi scandalo, ægrotum accedere & sacramēta ministrare?

R. Vbi de periculo æternæ damnationis egroti agitur, si quod ponatur scandalū erit.

erit acceptum nõ datum, quod pastor maxime tali casu contemnere debet.

Nihilominus poterit pastor si tempus ferat paucis verbis ostendere populo potius & melius esse succurrere proximo in illa extrema necessitate laboranti, quam vacare operi quod differri, vel etiam fortasse, si necdum ad consecrationem ventum est, sine peccato pro tempore omitti potest.

Q V Æ S T I O XIII.

Quid remediij si pastor fugiat & latitet.

Quæstionis explicatio:

IVre (a) communi debet tribus publicis edictis citari, & si intra sex menses non reuertatur beneficio priuari: Iure nouissimo cõciliij (b) Tridentini debet similiter citari & si contumax fuerit, debet contra eũ procedi per censuras, inde si inforduerit ad sequestrationem, & subtractionem fructuum, demum ad priuationem deueniri.

a c. Ex tuo de clericis nõ re-fidem.

b Sess. 6. c. 1. & sess. 23. c. 1. de reform.

Quaritur an casu grassantis pestis in quo versamur, hic processus seruandus sit, vel aliud remedium compendiosius adhibendum.

R. sponso.

Distinguendum videtur, vel enim Episcopus potest vicarium inuenire, qui pastoris loco ministret sc̄m̄ta vel non potest nisi

nisi illi et parrochiale beneficiū cōferatur:

Si primum, remedium erit vt Episcopus procedat ad illius priuationem ordinē tū à iure communi tū à concilio præscripto, quia nulla necessitas vrget celerius remedium adhibere: Si secundum, vno edicto ad valuas ecclesiæ parrochialis posito, & breui die illi assignata, si contumax sit, & ad ecclesiā non redeat, estq; periculū, ne animæ sine sacramentis decedant nec aliud remedium adhiberi possit, quia nulli alii sacerdotes reperiri possunt, Episcopus omissis illis solemnitatibus à iure & concilio Tridentino præscriptis, poterit immediatē ad sententiam priuationis procedere, & aliū in locum illius surrogare. Et ratio videtur sufficiens, (a) quia necessitas sibi legem facit, & credendum est ius cōe & concilium non attēdisse ad hūc casū extremæ necessitatis.

a De cōsuet.
c. peruenit.

b Nauarr.
Mā. c. 25. nu.
121.

c Sess. 23. c. 1
de reformat.

Dices (b) Nauarrus notaui ex ipso (c) concilio Trident. parochū ex causa posse abesse à sua parrochia ad certum tempus etiam sine licentia Episcopi, non poterit ergo ad vnam citationem statim priuari.

¶ Sicut nec conciliū, ita nec Nauarrū respexisse ad nostrū casū, cuius iudiciū est q̄ concilium quamuis absentia præfatam concedat, hortatur tamē & monet pastores quoscumque, ne per illud temporis spacium, dominici, aduentus

aduentus, quadragesime, natiuitatis, resurrectionis Domini, pentecostes. Item & corporis Christi diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere pastoris presentia oues debet, ipsi ab ecclesia villo pacto absint: quod idem eadem & maiori ratione definiuisset concilium pro tempore pestis, si de illo consultum fuisset.

QVÆSTIO XIV.

Pastoribus & aliis Prælatibus siue iuste siue iniuste absentibus vel peste infectis aut & mortuis vel seruire nolentibus, an alij teneantur sacramenta ministrare.

Quæstionis explicatio.

Hactenus egimus de iis, qui ex debito iustitiæ tempore pestis tenentur sacramenta ministrare, variisque eorum excusationibus quas prætexere solent respondimus: Consequenter inuestigandum videtur: An præter parochos sint alii qui obligentur, si non debito iustitiæ, saltem charitatis, in casibus scilicet, quibus pastor timore, contagionis correptus, non audeat sacramenta ministrare, vel latitat, vel fudit, vel peste correptus domi detinetur, vel etiam mortuus est, & similibus.

Responsio.

Quicumque sacerdotes etiam si nulla animarum

marum cura illis incumbat, absentibus quoquo modo siue iuste siue iniuste pastoribus tenentur lege charitatis & iustitiæ legalis sacramenta ministrare, quia ille est casus, quo sacerdos obligatur ex talento potestatis sacerdotalis sibi credito operari, tenetur enim vnusquisque vti gratia sibi à Deo data, cum spiritualis proximi necessitas hoc postulat secundum illud (a) Apostoli: hortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: Sed tempore grassantis pestis absentibus pastoribus salus proximi propter quã omnes gratiæ gratis datæ à Deo nobis conceduntur, hoc maximè postulare videtur: ergo.

Dices primo. Sacerdotes simplices non habent iurisdictionem ad pastoralia officia exercenda necessariam, non tenentur ergo illo tempore sacramenta ministrare.

R. In articulo mortis, in quo peste infectos versari diximus, omnes sacerdotes sufficienti iurisdictione munitos esse. Nam secundum Concilium Trident. (b) & antiqua iura, omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis cœsuris & peccatis in articulo mortis absoluerè possunt. Sic enim habet Concilium: *Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat in ecclesia Dei, custoditum semper fuit vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.*

D tis, atque

a 2. Cor. 6.

b sēs. 14. c. 7. de fœtent. pœnit. & ex. 17. vñt. & ante illud c. oēs. de sent. excom. lib. 6. & extra de furt. c. fines & c. pœstorialis.

tis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absoluerè possunt.

Dices secundo. Quid si iniuste recusè pastor sacramenta ministrare, vel latere domi, vel tergiuersetur, vel aliàs inique se absentet, tenebuntur quoque & illo casu alii sacerdotes.

R. Tenebuntur, sicut vno prædiuitie elemosinam recusante alicui in extrema necessitate constituto, quamvis ille peccet, non propterea alii huius necessitati conscii excusantur; neque excusat quod pastor sit domi & tergiuersetur, quia si nolit sacramenta ministrare, perinde est moraliter loquendo, ac si præsens non sit, in sequentibus fiet manifestius.

Q V Æ S T I O XV.

Si simplices sacerdotes tum religiosi tum seculari nolint sacramenta ministrare, an possit Episcopus illos cogere.

Quæstionis explicatio.

Diximus superiori quæstione absente siue iuste siue iniuste pastore, tenebuntur quemvis sacerdotem tempore pestis ministrandis sacramentis populo seruire: Cum autem eo casu superuenient quisque

quisque, vt ante diximus, timore contagi-
onis excusationes neccere & officium hoc
subterfugere soleat, quæritur an Episcopus
illo casu poterit simplices sacerdotes ad
illud officium cogere?

Responsio.

POterit, primo. Quia ante diximus, illo
casu extremæ scilicet necessitatis quili-
bet sacerdos tenetur vti potestate & gratia
sibi à Christo tradita absolueno à censu-
ris & peccatis & alia sacramenta ministrā-
do, poterit ergo Episcopus cogere sacer-
dotes, præsertim sibi subditos, vt id per-
soluant, ad quod obligantur. Secundo,
Quia Episcopi est providere ne populus
sit sine sacerdotibus qui illi ministrent sa-
cramenta, & alia ad salutem necessaria: sed
nulla alia est, pro illo temporis articulo, ra-
tio providendi, quam vt Episcopus ex illis
eligat & cogat, quos existimet magis vtiles
& idoneos: Ergo poterit cogere, & illi te-
nebuntur obedire: quia mandatum per se
iustum est, maxime in casu tantæ neces-
sitaris in quo versamur: Si enim vnquam tū
vel maxime sacerdotes videntur obligari,
ad exhibendum obedientiam quā omnes
tam regulares quam seculares in sua ordi-
natione vel expresse promittunt aut eo
ipso quo incolæ & diœcesani fiunt, tacite

*a l. 3. in prin.
l. rescrip. in
fine. ac ibidē
Dd. Ti. de
munerib. &
honor.*

D 2 profi-

a *dist. 74. c.*
3. *¶ 4.*

profitentur. Postremo Episcopus secundū
(a) canones potest quemcumq; clericum
vel diaconum suspendere ab officio, si vo-
lenti illum promouere ad altiore gradū
propter bonum ecclesiæ non obtempera-
uerit: Ergò similiter poterit cogere vt mu-
nia pastoralia obeat. Ita doctores nostri (b)
Caletanus, Sotus (c) & per eos citati.

b 1 2. q. 26.
art. 4.

c *De iust. &*
iur. lib. 1. q. 6.
art. 4. *¶ re-*
lect. 1. de te-
gendo secreto
memb. 3. q. 4.

Dices huiusmodi sacerdotes non tenē-
tur, ne quidem casu tantæ necessitatis et
iustitia particulari ministrare sacramenta,
ergo ad hoc cogi non possunt.

d *Lessius de*
iust. & iure,
li. 2. c. 7. dub.
7. num. 39.

Re. Quicquid sit de antecedente, negan-
dam esse consequentiam, potest (d) enim
ad multa nos cogere superior seu ecclesia-
sticus seu sæcularis, ad quæ ex iustitia non
tenemur, vt v. g. ad dandam eleemosynam
in magna fame ad vendendum frumentū,
ad vitadum sumptus immòdicos in vestes
& conuiuia, ad vitandam ebrietatem, for-
nicationem, incestū, sodomiam, blasphemiam,
certos ludos & similia.

Dices: Si omnes sacerdotes indifferen-
ter tenentur, quem primo coget Episcopus
Re. Videri cogendum illum qui agrote
plurib. rationibus deuinctus est, vt si sacer-
dos sit agro sanguine vel affinitate coniun-
ctus; vel si religiosus est qui ab agro magna
beneficia accepit, vel qui loco vicinior est
& sic

& sic de aliis, per illa, quæ docet Illustriss.
Borromæus (a) de cura pestilentia, & nos ^{ac. 27. nu. 4.}
inferius aliqua suo loco dicemus. ^{Es.}

QVÆSTIO XVI.

Si Episcopus velit cogere sacerdotes seculares illi autem inter alias excusationes pratexerunt se parentes habere, qui præcipiunt, ut cum eis à loco contagioso recedant, an parere debeant Episcopo vel parentibus.

Quæstionis explicatio.

Contra præcedentem assertionem multæ solent excusationes afferri, potissimum ab eis sacerdotibus qui parentes pauperes habent, quos sua industria & fructibus suorum beneficiorum alunt: Hi enim, ut alias excusationes omittamus, obtendunt se teneri parentibus: Quæritur idcirco, ad quod horum obligentur?

Responsio.

Tenentur obedire Episcopo: quia privatæ utilitati communis præferenda est, ut patet: Cum ergo Episcopus præcipiat ad communem utilitatem, pater autem ad privatam, mandatum Episcopi præferendum est mandato patris, præsertim, si (ut supponimus) ex vna parte periclitatur salus animarum, & ex altera salus tantum corporalis

D 3 patris

patris, tunc enim cum bono publico concurrit etiā bonum spirituale, quod corporali præferri debet.

Dices: Quid si eundē sacerdotem eodē tpe requirant duo Ep̄i, quibus subest, rōne duorū beneficiorū, q̄ tenet ex dispēlatiōe?

R. Pareat utique, si potest, si non potest,

a Argū. c. fin. de postulat.

(a) pareat illi in cuius diœcesi moratur, & cui primo obedientiam præstitit, vel illi in cuius diœcesi maius & utilius beneficium habet, hoc. n. postulare videtur ratio, vel si omnia hinc inde sint paria secundū (b) ius, locus erit gratificationi.

b ff. ad Sillā. senatuscons.

l. si qs in gra.

¶ si cū omnis

Q V Æ S T I O XVII.

Si Episcopus velit cogere Religiosos illi autem allegent se exemptos esse, nec Prælatos permittere, ut Reipublicæ illo tempore seruiant, ne infecti peste, ceteros religiosos inficiant, an teneantur obedire Episcopo, vel suis Prælati?

Quæstionis explicatio.

SI in conuentu aliquo religiosus vnus peste inficiatur, exponitur totus conuētus contagionis periculo: Idcirco quæritur quid si Ep̄s velit aliquos religiosos cogere ad ministranda sacramēta, Prælati autē aduertēs contagionis periculum nolit permittere excusabuntur nē religiosi hmōi an vero tenebuntur sacra ministrare & Ep̄o parere

Responsū

Responsio

Tenentur obedire Episcopo propter rationes præcedenti questione allegatas. Neque obest, si dicas illos à iurisdictione Ep̄i exemptos sicut sunt hodie omnes religiosi ordinum mendicantium, quia responderi potest, non esse exemptos à lege charitatis & iustitiæ legalis, rōne cuius regimini Ep̄i in hoc casu subduntur, *quæ n. pro charitate instituta sunt* (inquit (a) S. Bernardus) *non debent contra charitatem militare*: Quin verò illi reliquis sacerdotibus simplicibus videtur magis obligari, tum pp̄ perfectionem status, tum pp̄ beneficia tēporalia, q̄ quotidie à populo recipiunt, vt patet.

Dices: *Priuilgium (b) exemptorum non debet esse inutile.*

R. Nullum in casu præsentis priuilgium esse, neq; priuilegia qualiacunq; illa sint, ad extremam hmōi necessitatem spiritualē se extendere, (c) *cum necessitas legem non hēat.* Et sic casus hic à superiore qui eos ab ordinaria iurisdictione exempt, improuisus & talis, quo indubiè nollet eos contra legem charitatis eximi: Quia tñ non desunt q̄ docēt religiosos non posse ad id ab Ep̄o cogi, vt oīs illo tpe amputet tergiuersatio, prouidenter faciet Ep̄s, si cum Illustmō. & Reu. mō. Borromeo (d) curet sibi facultatē dari à

a De prac. & disp. c. 4.

b c. si Papa de priuil. li. 6.

c peruenit. De consuet.

d Li. de cura pest. c. 10. n. 4. Tapertius 6.

56 DE NECES. ET MOD. MINIST.
Serenis, vt Regularium cuiusvis ordinis o-
pera ministeriæ sine vlla mora aut impe-
dimento superiorum pestilentia tempore
vti possit, si tamē tempus permittat, & nul-
lum in mora sit periculum.

Q V Æ S T I O XVIII.

*Deficientibus sacerdotibus indigenis vel Episcopo
parere negligentibus, vel ex causa quacungq; siue
iusta siue iniusta se excusantibus, an liceat sacer-
dotem aliunde aduocatum pecunia condu-
cere qui peste infectis sacramenta
ministret.*

Quæstionis explicatio.

ANno Domini 1579. me parochum in
Ecclesia diui Michaelis Leodii agen-
te, cum in plerisq; Belgæ locis, & præsertim
ciuitate & patria Leodien. pestilentia in-
numeram multitudinem hominum absum-
meret, pastoresq; in summo vitæ discrimi-
ne versarentur, provide valde vterq; Ma-
gistratus sacerdotem foraneum conduxit
non exigua pecuniæ summa, qui seorsim à
suis habitaret, & peste infectis sacramenta
& alia ad salutē necessaria ministraret, da-
ta pastorib; libertate, vt quisq; pro sua pie-
tate, zelo, & prudentia, vel per se subditis
suis ægrotantibus sacramenta conferret, vel
sacer-

sacerdotis illius cōductitii opera vteretur. Siquidem inde secutum est primum, vt ægrotis sacramenta non deessent & sanis per pastores sanos & à contagione immunes sacramenta ministrarentur, deinde vt diuina officia per ecclesias parochiales, sacrum quoq; missæ officium, magno hominum concursu, pari religione & deuotione celebrarentur, tandem vt pastores singulari Dei benignitate à peste præferuarētur. Ceterū dum conductitius hic sacerdos incredibili labore, modo pedes, modo eques, per amplissimā & frequētissimam ciuitatē propter peste infectorum vndiq; dispersorum multitudinem non ita reuerēter cum sacramentis destruere posset, sed ea crudeliter & minus religiose administrare cogebatur, natæ fuerunt non solū inter populares, sed & ipsos pastores & sacerdote isto eiusque moribus, necnon ratione & modo ministrandi sacramēta, per plures quæstiones, inter quas hæc fuit quæ modo est in manibus, licueritne illum pro ministrādis sacramentis pecunia conducere.

Responsio.

Distinctione opus est: possunt enim in huiusmodi conductione quatuor considerari: primū, ipsa ministratio sacramentorum. 2. Labor extrinsece ipsi ministratori

D 5 stratori

strationi coniunctus. Tertium, Sústetatio pro tempore, quo per ciuitatem huiusmodi sacerdos discurrebat, vt sacraméta ministraret. Quartum & postremũ, cõtagionis & vitę periculũ cui se quotidie exponebat.

Si primum spectetur, communis sententia est, administrationẽ sacrametorum non posse pecunia cõduci, quia sacramenta, p̄sertim nouæ legis, de quibus agimus, sunt quam maxime spiritualia, vtpote gratiẽ iustificantis instrumenta, quæ proinde nulla re æstimari possunt; quãquam non desunt hodie viri docti & pii, qui hanc quoq; conductionem satis probabiliter in extrema quadam necessitate excusari posse putent, vt suo loco in materia de sacramento baptismi dicemus.

Si secundum: hoc est, labor extrinsece sacramentorum ministratiõni coniunctus; certum est licuisse conducere sacerdotem & pro suis huiusmodi laboribus pecuniam dare, quia labores illi procul dubio erant pecunia æstimabiles, licuit ergo magistratui conuenire cum illo sacerdote pro eiusmodi labore.

Si tertium; hoc est, sustetatio huiusmodi sacerdotis, certum quoque est quod illa ei dari potuerit etiam ex pacto, imo verò

a Matth. 10. debuerit; (a) Dignus enim est operarius mercede sua:

sua: & secundum Apostolum, (a) non est alligandum os boui trituranti. a 1. Cor. 9.

Si postremum: hoc est, contagionis & vitæ periculum, cui sacerdos ille quotidie se exponebat, satis quoque certum est potuisse cum illo pecunia pacisci vt se tali periculo exponeret, illud enim pecunia est æstimabile, sicut & pecunia magna & notabili etiam æstimari potest tolerantia factorum & aliarum rerum indignarum, quas apud peste infectos ferre oportebat. b Matth. 10.

Dices: Christus dicit, (b) gratis accepistis, gratis date, non licuit ergo pecunia illum conducere.

R. Sacerdotem sacramenta gratis dedisse, potuisse nihilominus secundū oēs p laboribus suis, nec non pro sustentatione & periculis quibus se exposuit cum magistratu conuenire & pacisci vt statim diximus. c c. Tua nos de symonia c de iustit. & iur. lib. 9. q. 6 art. 1.

Dices secundo: Ius prohibet omne pactū in spūalib, Respondet Sotus illi iuri per contrariā consuetudinē in quibusdā functionibus spūalibus & speciatim istis derogatum esse, passim, n. ea est consuetudo in ecclesia Prælati scientibus & conuenientibus. Certum est aut cōsuetudinem facere posse, vt id q̄erat symonia iuris humani nō sit amplius symonia. Optandum tñ esset vt hæc consuetudo tolleretur, quia speciem quandam

quandam negotiationis habet, præsertim apud vulgum harum rerum imperitum. Quamobrem qui hodie vellent in huiusmodi casu pacisci, consulte facerent, si expresse significarent se non pro functione sacra, sed pro sustentatione sua & laboribus, & non aliis pacisci.

Dices tertio: Quid si sacerdos plus iusto exigat pro sustentatione, eritne symoniacus dicendus?

R. Non erit reuera, præsumetur tamen talis in foro externo, quia enim illud stipendium necessariam sustentationem superet, videtur illud auctuarium accipi non iam pro sustentatione, sed vt pretium operis spiritualis; vt alibi S. (b) Thomas infirmit.

q. 2.2. q. 100.
art. 3. ad 3.

Dices quarto: Quod si sacerdos euaserit incolumis, nec quicquam incommodi vel damni passus fuerit, vt tunc temporis Leodii non sine summa totius ciuitatis admiratione accidit, tenebiturne aliquid de pretio conuento remittere?

R. Non tenebitur, satisfecit enim pro sua parte pacto conuento, & si incolumis euaserit, non alteri ascribi potest quam benignæ Dei prouidentia: Sic docent Canonistæ, mercatorē posse pacisci de lucro cessante vel damno emergente certo pretio pericu-

pericu-

periculum in se recipiendo, antequam dāna eiusmodi eueniant, & si non euenierint nō propterea teneri reddere aut quicquam diminuere, quia nimirum alterius causa reuera subiit periculum, etsi nihil detrimēti illi euenierit.

QVÆSTIO XIX.

*An liceat sacerdotem conducere, quem
scimus improbe viuere.*

Quæstionis explicatio.

Et si Sacramentorum virtus non pendeat à probitate ministrorum, neq; illorum, improbitas, si recipiens nullum obicem ponat, illi impedimentum præstet, non licet tamē regulariter vti improbo ministro, ne eius peccato cooperemur. Huius ergo occasione quæritur primo, quid si vir probus reperiri nequeat, sint autem improbæ vitæ, qui operam suam offerunt, an licebit horum operam in huiusmodi necessitate conducere?

Responsio.

SI Sacerdos (a) probus haberi nequeat, a. e. vestra, de
cohab. cleric.
& mulieris. licet in necessitate conducere Sacerdotem improbæ vitæ, qui sacramenta ministrat: quia petitur actio de se bona & laudabilis

bilis, quam sacerdos ille, si vult, sine peccato præstare potest, obiectum enim ipsius ex se honestum est, & ad veritatem religionis pertinens: sicut licitè petitur iuramentum à gentili, qui per falsos deos iuraturus est, & mutuuum ab eo, qui vsuras exacturus est.

Dico (*si alius vitæ probata reperiri non possit*) quia si quis comodè & sine magno detrimento probum habere possit, debet illius opera uti, & auferre improbo occasionem ruinæ, hoc enim postulat ratio charitatis: alias non obligatur cum tanto onere, ad omittendum ea, quæ sibi ad salutem sunt necessaria & vtilia.

Dices: Quid si improbus non offerat se, licebit nihilominus ad ministrandum con-
ducere?

R. Licebit, quia, ut ante diximus, quod ab eo petitur bonum est, & adest iusta necessitas, quæ excusat, ut scitè docet (a) Caietanus, & post illum (b) Sotus apud Magistrum sententiarum: Et confirmatur, quod dum quis extremæ subest necessitati, unusquisque si potest tenetur ei succurrere: habet ergo in ea necessitate existens ius inducendi unumquemque ad ministrandum sibi sacramentum.

Dices: Inducere ad malum, de se malum est:

a In 3. p. D.
Thom. q. 64.
ar. 35.
b In 4. dist. 1.
q. 5. art. 6. §.
quarto licet.

um est: ergo nullo casu licet.

R. Hoc non esse proprie inducere ad malum, sed inducere ad id, ad quod ius est petenti, quod quidem alter facere tenetur, atque adeo benefacere, quare si non vult se in gratiam Dei recipere, ut id faciat, sua culpa erit, ut patet ex generalibus principis de scandalo,

QVÆSTIO XX.

An liceat etiam ebriosum conducere.

Quæstionis explicatio.

TEmpore pestis solent ferè malefragi homines, ad ministranda sacramenta operam suam offerre, & inter alios ebriosi, ideo forsàn, quia cum vulgo putât, se timore per commestationes depulso, non facile corripiedos hoc morbo, quod timidis potissimum hoc accidere opinentur, de quorum stulta & impia opinione (a) Gabriel Biel meminit in quæstione illa docta & pia quam scripsit de fuga pestis. Horum occasione quæritur: an si alius reperiri non possit, liceat etiam huiusmodi ebriosi operam conducere, pro ministracione Sacramentorum?

*a habetur in
Ser. Dom. 4.
post Pentec.*

Responsio,

SI alius haberi non potest, licet, eadem ratio-

ratio-

*a Tract. 8. in
Joannem.*

ratione: & confirmatur auctoritate (a) D. Augustini, qui disertis verbis asserit, baptismum ab ebrioso datum, esse validum.

Dices: Nullo casu, ne in extrema quidem necessitate, licet aduocare ebrium: E. nec ebriosum, quia ebriositas crimen, ut apparet, maius est ebriositate.

R. Quod ebriosus possit ministrare Sacramentum, non item ebrius, non ideo esse, quod ebriositas minus sit peccatum, sed quia is ebrius dicitur, qui actu priuatus est usu rationis, & consequenter non potest habere intentionem ad valorem sacramenti necessariam, quam habere potest ebriosus, interim dum actu ebrius non est.

QVÆSTIO XXI.

An possit etiam semiebrius.

Diximus statim illum dici ebrium, qui actu rationis usum non habet: Cum verò duobus modis possit id accidere, vno ut totaliter priuetur rationis usu: altero, ut ex parte, puta qua restat aliquid luminis & discursus, necessariorum poni debet duplex ebrietas: ut vna dicatur perfecta & consummata, altera imperfecta, quæ semiebrietas dicatur. Huius occasione quaeritur, casu quo non reperiatur alius sacerdos, sit verò quispiam

piam semiebrius, qui operam nō recusaret si vocaretur, an licebit talem sacerdotem ad se pro sacramentis vocare.

Responsio

SI alius haberi non potest, licet eadē semper ratione: Neque obstat, quod verisimiliter putatur, peccaturus in ministratio-
ne sacramenti, tum quia hoc non est certū, potest enim talis aliquid plus potus ex cō-
silio medicorum sumpsisse per modū an-
tidoti contra pestem, quod secundum ple-
rosq; licitum est, tum quia potest se breui
tempore bene disponere ad ministrādum
sacramentum, cum adhuc vsu rationis vta-
tur: Et vt ponatur, peccaturus tamen pe-
ste infectus rem bonam petit, & adest iusta
necessitas, quæ illum excusat, vt ante dixi-
mus.

Dices: ad sacramenta ministranda non
sufficit quicumque vsus rationis, sed tantus
qui sufficiat ad rite iudicandum de sua &
suscipientis dispositione & valore materie,
formæ, & similibus, ad quæ non videtur suf-
ficere vsus, qui est in semiebriis.

R. In casu necessitatis, in quo versamur
excusari in ministro minorem dispositionē
sicut & in ipso suscipiente per illa, quæ ini-
tio hu-

66 DE NECES. ET MOD. MINIST.
tio huius tractatus diximus, sufficere ergo
videtur illa, qualis communiter in semie-
briis reperitur.

QVÆSTIO XXII.

An etiam Concubinariam.

Quæstionis explicatio.

a c. nullus c. prator, dist. 32. c. ultim.
b Manual. c. 25 q. 8.
ET si specialis (a) iuris prohibitio, qua fideles vetatut à sacerdote publicè concubinario sacramenta accipere, quam etiã hodie obligare putat (b) Nauarrus. Huius occasione quæritur: An in casu, quo versamur, si nullus alius haberi possit, liceat etiã publici concubinarij operam conducere.

Responso.

c c. ult. 25. quest. 8.
SI alius sacerdos haberi nequit, licet, eadem semper ratione: quia actio honesta ab illo petitur, quã ipse sua malitia & impuritate quãtum in se est conspurcat & commaculat, quod significat Nicolaus (c) Papa cum ait. *Adulterum sacerdotem ministrando sacramentum se tantum ledere, & vnde aliis commodum exhibet, sibi dispendium præbere.* Neque obstat lex charitatis, quia, vt statim dixim⁹, non tenemur in graui necessitate spirituali vel nostra vel publica, parcere operæ illius qui

qui illam nobis potest sine peccato, si volet, impendere.

Dices: Poteritne quoq; huiusmodi concubinarius necdum peste infectis sacramenta ministrare, si nullus sit, qui illis seruiat?

R. Poterit, neque obstat allegata prohibitio, quia, quicquid dicat Nauarrus, probabilius est, illam sublatam esse, & ad Concilium Constantiense & Basiliense moderatam, vt tantum afficiat concubinarios nominatim & publicè suspensos, & vt sublata non fuerit, poterit non obstare illa peste grassante in absentia aliorum sacerdotum ministrare, excusante illum periculo & necessitate fidelium, cum omnes in tali articulo censeantur esse in extrema necessitate, vt antea ostendimus.

Dices secundò: Poterit etiam suæ concubinæ, si peste inficiatur, sacramenta ministrare.

Resp. Veritum esse Statutis Synodalib. diœcesis nostræ, sub pœna excommunicationis, ne concubinus suam concubinam in confessione audiat: Cuius prohibitio (a) meminit Adrianus in 4. Verum nec a *In 4. de cõ-* illa prohibitio in casu extremæ necessitatis *respon.* habet locum: Licet ergo concubino concubinæ, si verè pœnitens sit, sacramenta illo casu ministrare; quæ verò ad veram con-

E 2 cubina

68 DE NECES. ET MOD. MINIST.
cubinariorum pænitentiam requirantur,
a 3. n. 19. vide apud Nauarrum in (a) Summa.

QVÆSTIO XXIII.

An etiam ab Ecclesia præcisum.

Quæstionis explicatio.

b c. 3. q. 4. &
11. q. 3. §. eui-
deter, & ali-
bi passim.

Certum (b) est, communiter non lice-
re sumere sacramenta à sacerdotibus
interdictis, suspensis, degradatis, ex-
communicatis nominatim vel propter vio-
lentam & notoriam clerici percussionem,
iuxta moderationem Conciliorum Basili-
enf. & Constantenf. Sed quid si alii pro tẽ-
pore reperiri non possint, an liceat Magi-
stratui vel ipsi peste infectis tales inducere,
vt sibi sacramenta ministrent.

Responsio.

c c. quod de
his, de senten-
excõ. & ibi
Dd.
d Sess. 14. ca.
de Spcer. pæ-
nitent.
e In 4. dist. 18
q. 4. art. 4. §.
Rat. concl.

Si alius haberi non possit, licet: quia se-
cundum antiqua (c) iura & nouissimũ con-
cilium (d) Tridentinum, in articulo mortis
omnes sacerdotes quotlibet pænitentes à quibusuis
peccatis & censuris absoluere possunt: Si omnes sa-
cerdotes, ergò & sacerdos præcisus: & confir-
mat (e) Soto. Cum enim in articulo mortis
agatur, vel de ppetua felicitate, vel de per-
petua damnatione fidelium, nõ ageret Ec-
clesia, quæ à Spiritu sancto gubernatur, se-
cundum

cū dum amplissimam Dei misericordiam:
Si aliquem sacerdotē impediret illo tem-
pore sacramenta ministrare.

Dices: præcisus ab ecclesia, non potest
ministrare sacramenta absq; peccato. Ne-
mo ergo poterit illum ad id inducere.

R. Præcisum non peccare in illo extre-
mæ necessitatis articulo, hic enim semper
excipitur.

Dices secundo: Præcisio non tollitur
per contritionem, debet ergo præcisus pro
reconciliatione ad superiorem recurrere,
priusquam tale officium suscipiat.

R. Verum esse, si facile fieri possit absq;
periculo animarum, sed hic versamur in
casu quo res moram non patitur nec po-
test commode ad superiorem recurri: Ita-
que excusantur: Alioqui enim ecclesia vt
ante diximus, quæ à Spiritu sancto regitur
non fatis prouidisset saluti fidelium ex hoc
saeculo exeuntium.

Q V Æ S T I O XXIV.

An etiam Hæreticum.

Quæstionis explicatio.

INter sacerdotes ab ecclesia præcisos,
periculosissimi sunt hæretici, qui in id
perpetuo intenti sunt, vt alios ad suas opi-
niones alliciant: Cum autem omnes tum

Lutherani tum Calvinistæ sacramenta nuda & inefficacia signa esse opinentur, gratiamque quam per Sacramenta nobis credimus, soli fidei tribuant, merito Catholici sibi timere debent, ne si illorum aliquem pro sacramento ministrando vocent, loco sacramenti illis hæresim suam instillēt, adde quod solent (sicut ^a eruditissimi & grauis viri annotarunt) sacramentorū formas peruertere, materiam contemnere, intentionē vitare, quæ tamen ad sacramentorū essentiam sunt necessaria: Merito ergo speciatim de huiusmodi præcis quæritur: An & illi aduocari & induci possint, vt sacramenta illo tempore ministrent?

^a Reuerendissimi Matthæi Houius Archiepiscopi Mechl. & Henrici Cantuarii Episcopi Rurem. in suis parochialibus. Ille de Baptis. can. 10. Hic de Baptis. can. 9.

Responsio.

SI alius sacerdos haberi non possit, poterunt aduocari Si modo de intentione ministrandi constiterit & prudenter periculum subuersionis capeatur. Vt patet ex iis, quæ superioribus quæstionibus diximus.

Dixi primo: (*Si modo de intentione ministrandi constiterit*) quia secundum communem eamq; certissimam aliqua saltem intentio conficiendi sacramentum requiritur, puta faciendi quod Christus institutor sacramentorum fecit, quam quidam hæreticorum habent,

Dixi secundo: *Si periculum subuersionis capeatur.*

ueatur, quia stante illo vel simili, vt publici scandali vel infamiæ, religionis, aut contemptus sacramentorum, non licebit, sed illo casu potior habenda erit ratio boni publici & reuerentiæ sacramentis debita.

Dices primo: Non potest vocari hæreticus sine scandalo: ergo simpliciter non est aduocandus, neque in extrema necessitate.

R. Scandalum illud fore aliquando actiuum, aliquando passiuum tantum & excusabile, quando vero erit vnius vel alterius generis ex ordine charitatis, & ex generali obligatione vitandi scandalum & proximi ruinam, iudicandum est. Nam (vt superioribus quæstionibus diximus) si commodè possumus, & sine magno detrimento, debemus auferre proximo occasionem ruinæ, quia hoc postulat ratio charitatis: Si vero id sine graui incommodo ac detrimento vitare non possumus, non obligamur cum tanto onere ad omittendū ea, quæ sunt nobis ad salutem necessaria. Ceterum etsi hæc vera sint, non suadeo tamen, vt quis hæretici opera facile vtatur, nisi qui hæreticorum malitiam & fraudulentiam, perspectam habuerit, & ab ea sibi cauere probe didicerit.

E 4

QVÆ.

QVÆSTIO XXV.

Quis teneatur ministrare sacra summo Pontifici, Primate, Patriarchæ, Cardinali, Episcopo, & inferioribus Prelatis exemptis, vt generalibus ordinum, Decanis, Abbatibus, Provincialibus, Guardianis, Prioribus, peste infectis.

Quæstionis explicatio.

SVnt in ecclesia personæ quædam, quæ vel propter præminentiam status vel propter priuilegia & exemptiones nõ sunt Episcopis & Pastoribus ordinariis: de quibus ideo quæri solet apud doctores, qui teneantur illis sacramenta ministrare, quod & si omni tempore merito quæri potest, tamen maxime pestilentiali, quo fere sacerdotes, vt diximus, sacramentorum administrationem subterfugere solent: horum occasione consequenter quæritur, quis teneatur illis ministrare sacramenta.

Responsio.

PRimo. Pontifici summo tenetur ministrare sacramenta sacerdos quem ille sibi ad hoc delegit & obligauit. Ita necessario dicendum est, quia cum summus pontifex nullum in terris superiorem habeat, & peccare possit sicut alii, necessarium est dicere

dicere vel ipsum posse sibi sacerdotem deligere qui sacramenta illi ministret, vel deū illi aliquem designasse qui ei sacramenta ministrare teneatur; posterius non videtur verum, nusquam enim hoc legitur, restat ergo vt prius dicamus. Colligitur hæc doctrina ex iis, quæ doctores communiter tradunt de primatu Pontificis; Alioquin, summus Pontifex peioris esset conditionis reliquis fidelibus qui habent pastores & alios sacerdotes obligatos ad sacramenta sibi quātumuis peste infectis etiam cum periculo vitæ ministranda.

Secundo: Aliis Prælatiis exemptis tenetur similiter ministrare sacramenta sacerdos ille, quem ipsi sibi delegerint, & ad hoc obligarint, & hoc necessarium est dicere, quamuis diuersa ratione: Cum enim pleriq; omnes illi à summo Pontifice longissime distent, necessum fuit vt priuilegiū illis concederet, quo sacerdotem eligere possent, qui illis sacramenta ministraret, q̄ hisce verbis in decretalibus expressum habemus, (a) *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculū immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis superioribus nec non minoribus prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum & discretum sibi possint eligere confes-*

*a est Greg. 9.
de reseru. &
pœn. & rem.
c. vlt. ne pro
dilation.*

E 5 Neque

Neque obstat, quod priuilegium videtur tantum loqui de sacramento pœnitentiæ, quia regulare est in iure canonico, vt quib⁹ sacramentū pœnitentiæ ministrari permittitur, præsertim in articulo necessitatis liceat etiam ministrare viaticum, & consequenter alia, si quæ sint in tali casu ad salutē necessaria sacramenta, aliàs enim sumus Pontifex illis non sufficienter prouidisset.

Dices primò. Poteritne etiam sacerdos secularis per eos electus sacramenta ministrare.

R. Poterit, quia priuilegiū non restringit, & aliàs non esset satis periculis animarum prouisum.

Dices secundò. Sacerdos per huiusmodi Prælatos electus, teneturne ministrare sacramenta ex debito iustitiæ, vel alio titulo.

R. Sacerdotem posse eligi duobus modis: vno, vt post electionem maneat eligenti obligatus ad illa ministranda, & sit veluti eius pastor saltem in illis officiis, cui ob id alimenta & alias commoditates tribuit: altero, vt post electionem maneat in arbitrio eligentis, eligere alia vice alium, & altera alium, & sic consequenter, quoties voluerit sibi sacramenta ministrari: hoc enim fieri posse etiam vigore huius priuilegii censent

fent (a) Paludanus, (b) Anthonius (c) Na-
narrus & alii. Si sacerdos est electus primo
modo, tenetur eligenti peste infecto ex de-
bito iustitiæ ministrare sacramenta, etiam
cum periculo vitæ, quia hic sacerdos in ei-
usmodi officiis pastor est eligentis, & ad id
tacite se obligavit, alimenta & alias comō-
ditates percipiendo, ut ex iis, quæ de pasto-
re antea diximus, patet. Si verò est electus
altero modo, non tenetur debito iustitiæ,
sed potest teneri debito charitatis, pietatis,
obseruantia, obedientia, vel similis alteri-
us virtutis.

*ain 4. dis. 17.
b 3. par. 1. 17.
cap. 19.
c in c. placu-
it, de penit.
num. 166.*

Q V Æ S T I O XXVI.

*Quis domesticis Summi Pontificis, Primatum, Pa-
triarcharū, Archiepiscoporum, Episco-
porum, & aliorum inferiorum
Prælatorū exēptorum.*

Quæstionis explicatio.

Sicut difficultas est, quem habeant obli-
gatum ad ministrandum sibi sacramē-
ta in casu pestilentia exempti Prælati, ita
non minor difficultas, quem habeant ipso-
rum familiares & domestici. Quocirca
etiam quæritur, quis teneatur illis mini-
strare.

Responsio

*Responsio.**a Palud. supra.*

Dico primo: (a) Summus Pontifex & pœnitentiarius primus tenentur suis familiaribus & domesticis ministrare sacramenta, nisi illis alium assignarint, quia sunt illorum immediati pastores. Non solet tamen per se Pontifex ministrare sacramenta, nec forte expediret tempore peccatis, quia est causa vniuersalis, imo vniuersalissima, quæ per se non operatur particulares effectus, sed vacat maioribus, nisi in casu raro & necessario, puta extremæ necessitatis quo nullus alius esset sacerdos vt colligitur ex iis (b) quæ ex D. Thoma ante diximus.

b Quodl. 1. art. 14. § 3. art. 1.

Secundo, similiter alii inferiores Prælati tenentur ministrare sacramenta suis subditis; quamquam non teneantur nec expediat vt per se ministrarent ob causam iam assignatam, sic enim se habent ad aliquam multitudinem populi sibi subditam, sicut Summus Pontifex ad vniuersalem Ecclesiam.

Postremo, inferiores Prælati exempti, vt Abbates, Decani, Prouinciales, Guardiani, Priores, &c. tenentur suis respectiue ministrare siue canonicis, siue religiosis, siue per se siue per alium, eadem ratione.

Dices primo: Possuntne familiares & do-

mestici

mestici Papæ eligere sacerdotem qui illis sacramenta ministrat? Ratio dubitandi est, quia immediate subsunt Pontifici, sicuti Prælati exempti.

R. Non posse, quia etsi sint exempti à iurisdictione ordinariorum, non tamen sunt Prælati: Itaq; Pontificis & summi Pœnitentarii erit illis designare sacerdotem, vel speciatim dare facultatem eligendi aliquem.

Dices secundo: Tenentur ne huiusmodi Prælati ministrare sacramenta sibi subditis ex debito iustitiæ vel charitatis.

R. Quosdam putasse Prælatos religiosorum ex debito charitatis tantum teneri, quia videlicet ex charitate vel obedientia sine aliquo stipendio munus istud suscipiunt: sed contrarium videtur esse verius: Neque enim illi subditi debent peioris esse conditionis quam reliqui fideles, ut in casu pestis non habeant ius ab aliquo proximo pastore petendi sacramenta: Neque verum est quod stipendium accipiant, quod videtur contrariæ opinionis fundamentum: recipiunt enim à Religiosis reuerentiam & obedientiam, & ad hoc munus aluntur à religione, & suas priuatas commoditates supra reliquos religiosos habent.

Q V Æ

QVÆSTIO XXVII.

Quis Prælati non exemptis.

Quæstionis explicatio.

SVnt in diœcesi Leodiensi Prælati, de quibus indubium est eos immediate subesse Episcopo, vt Abbates & Priores Canonorum Regularium diui Augustini, Decani rurales & alii nonnulli: Quæritur ergo quis grassante peste tenebitur illis sacramenta ministrare.

Responsio.

EPiscopus, siue per se, siue per aliū, quia esteorum proximus Pastor.

Dixi, *per se vel alium*, quia non solet, neque subinde expedit, vt postpositis grauioribus diœcesis negotiis, dedat se huic functioni, quæ plerumque per alios inferiores sacerdotes æque bene perfici potest.

Dices: Per quem hoc munere fungi solet Episcopus circa præfatos Abbates & alios sibi immediate subiectos.

ꝛ. Per Priores, Supprios, qui vel ex regula vel statutis aut consuetudine solent suorum Prælatorum confessiones excipere.

Dices secundo: Possuntne huiusmodi Prælati pro se & suis sacerdotem etiam seculare eligere, & ad hoc munus obligare.

ꝛ. Non

R. Non possunt de iure, Consuetudine tamen huius diœcesis ex tacito Episcopi consensu videtur introductam, vt sibi eligant.

Dices tertio: Per quem solet Episcopus fungi hoc munere circa Decanos rurales.

R. Per pastores, quos Decani sibi subiectos habent, hi enim sicut suorum confratrum pastorum, ita & Decani sui confessiones excipere solent.

Dices quarto: Tenentur prædicti ministrare ex iustitia vel charitate.

R. Vide quæ ante diximus de duplici modo eligendi.

QVÆSTIO XXVII.

Quis canonicis Regularibus & Pastoribus ruralibus?

Quæstionis explicatio.

EX dictis non est difficilis quæstionis resolutio, tantum aduertendum, vt cum canonici regulares, sicut & pastores respectiue sibi mutuo sacramenta ministrare soleant, sciatur quis ex iustitiæ debito vel solius charitatis teneatur illa ministrare.

Responsio.

Abbates & Decani rurales tenentur respectiue suis canonicis regularib. & pastorib.

pastoribus sacramenta per se vel alium ex iustitiæ debito ministrare, quia sunt illorum immediati pastores, debent ergo illis immediate ministrare, idque ex iustitiæ debito, quia Abbates & Decani idcirco obedientiam, reuerentiam & alias quasdam commoditates à suis respectiue subditis recipiunt.

Dixi (*per se vel alium*) quia satisfaciunt officio, si per idoneum ministrum id præstet.

Dices: Possunt Abbates & Decani uti opera cuiuscunq; sacerdotis idonei in ministrandis sacramentis?

32. Possunt in casu pestis, non ita extra illum, quia Decani regulariter debent uti approbato iuxta nouissimam Constitutionem Concilii (*a*) Tridentini, licet non Abbates pro suis, de qua re plura dicere non est huius loci.

Q V Æ S T I O XXIX.

Quis teneatur sacramenta ministrare Imperatori vel Auguste vel Regibus, & eorum aulicis peste infectis.

Quæstionis explicatio.

Sotus (*b*) dicit se de hac quæstione nihil certi legisse quamuis autem hoc particulatim dicat de sacramento pœnitentiæ tamen

*b In 4. dis. 18
c 4. art. 2. §.
Cardinales.*

tamen idem est iudicium de ministro aliorum sacramentorum per ea quæ ante diximus.

R. sponso.

DE iure tenetur ^(a) pastor, in cuius parochia ipsa aula Imperatoris vel Regum sita est, quia quoad sacramenta immediate illi parochiæ subditi sunt: deficiente pastore tenetur Episcopus diocesis, in qua quæq; aula sita est: verum quia ex antiquissima consuetudine solent recipere sacramenta à suis sacellanis, tenebitur illis ministrare Sacellanus prout ad id electus & obligatus fuerit, ut ante diximus.

a c. ult. extr. de parochiis.

Dices: Nulla consuetudine ^(b) introducti potest ut absq; licentia proprii sacerdotis possit aliquis sibi eligere confessorem, nemo ergo poterit obligari saltem ad confessionem excipiendam præter proprium sacerdotem.

b. de pœn. & remiss. c. 2. lib 6.

R. Hoc tempore Imperatorem & Reges, vel habere priuilegium eligendi Capellanum, vel saltem ^(c) accedere tacitum Summi Pontificis & Episcoporum consensum.

c. d. Palud. & Hostien. supr.

F QVÆ-

QVÆSTIO XXX.

Quis Principibus, Ducibus, Comitibus, Marchionibus & aliis locorum Dominis, seu eorum Balliis & Seneschallis, eorumque domesticis.

Quæstionis explicatio,

Multa de his particulatim habet Paldanus, & post illum Anthoninus, quæ non paruos scrupulos adferunt, de quibus idcirco puto loquutum fuisse Sotum, cum dixit, *in his parum legi certi*, subitiam quæ videntur certiora.

Responsio.

*a arg. t. final.
de parochiis*

In primis de iure tenetur (a) parochus in cuius parochia resident, propter rationem aliquoties antedictam, verum quia plerique Principum & Dominorum, qui multa dominia habent, solent ire de vno dominio ad aliud, & habere Capellanos, qui ipsis sacrum missæ officium faciunt & sacramenta ministrant hodie in usu est, ut illi Capellani sic electi sint illis ad hoc obligati: Balliis vero & Seneschallis prædictorum Dominorum, sicut & eorum familiaribus & domesticis, qui nomine eorum fere semper modo huc, modo illuc discurrunt, tenetur ministrare pastor ille, in cuius parochia pro tempore concepta pe-

stis

his reperientur, quia eo casu est eorum pastor.

Dices: Cum huiusmodi officii fere habeant plures pastores in districtu suorum officiorum commorantes, quis illorum in hoc casu ministrare tenebitur?

R. Cum Paludano, (a) eum teneri prius ministrare, in cuius parochia ille decubit; Quo deficiente tenebitur vicinior, vel qui prius ab eo vocabitur.

QVÆSTIO XXXI.

Quis viatoribus, Peregrinis, Mercatoribus ad nundinas proficiscentibus, si per itinera peste corripiantur.

Quæstionis explicatio.

Sylvester (b) & alii faciunt plures distinctiones inter viatores cum licentia Episcopi, vel sine illa: Sed quia his in locis non est in usu, ut peregrinantes ad loca sacra vel alia petant licentiam confitendi vel alia sacramenta recipiendi per itinera, idcirco loquimur de viatoribus simpliciter, siue illi habeant licentiam siue non, & quæritur quis illis obligetur, si in itinere peste corripiantur.

b verb. confessor. 1. q. 12.

Responsio.

Pastor in cuius parochia reperiuntur dñi
F 2 peste

*a arg. c. fin. de
parochiis.*

peste (a) inficiuntur, quia is pro illo tempore censetur eorum pastor.

Dices: Quid si à domicilio demum heni vel nudiustertius recesserint.

R. Quidam volunt viatores peregrinos & huiusmodi demum sortiri forum, si per annum abfuerint à loco habitationis, alii si abfuerint quinque fere mensibus, alii, si vno mense, modo longius absint à suo domicilio, nec facile possit pastor proprius illis seruire: Sed in casu pestis in quo veriamur, putamus etiam breuius tempus sufficere, nec præfatos Doctores in hoc casu aliud dicturos fuisse, præsertim si proprius

*b De cõsuet.
e. peruenit.*

pastor facile haberi non possit, quia (b) necessitas legem non habet.

Q V Æ S T I O XXXII.

Quis Vagabundis.

Quæstionis explicatio.

*c Gloss. &
Barth. in l.
dies. §. Prator
ff. de damno
infect. & Pa-
nor. apud Syl-
uest. verb. cõ-
fess. l. q. i. in
fine.*

Vagabundi (c) dicuntur, qui non habent certum domicilium, nec quarunt, nec petunt habere.

Responsio.

*d arg. c. fina.
de parochiis.*

Tenetur illis ministrare pastor (d) cuius parochia peste decumbunt, quia

quia cum nullam certam habeant parochiam, necessario censentur esse illius, in qua pro tempore huiusmodi necessitatis reperiuntur.

Dices: Vagabundi non sunt melioris conditionis quoad sacramenta, quam incolæ & alii: Sed incolæ alicuius loci non habent tot pastores ad quot loca commigrare volunt. Ergo, &c.

R. Negando Consequentiam, magna enim est ratio diuersitatis, quia incolæ certum aliquem pastorem habent, isti nullum. Nec propterea melioris sunt conditionis, quod pastor loci, in quo in tali necessitate reperiuntur, fiat illorum pastor, tum quia non habent actu nisi vnum pastorem, tum quia incolæ, si casu peste corripiantur in externa patria, ille in cuius parochia continget illum peste corripi, fiet illi pastor.

QVÆSTIO XXXIII.

Quis illis, qui in duabus parochiis ex æquo habitant in vna æstiualem in altera hyemalem domum habentes.

Quæstionis explicatio.

IN hac quæstione duo videntur facere difficultatem. 1. quod huiusmodi domus solent esse vicinæ. 2. quod altera æstiuales, videtur magis ad aliquam animi recreationem

nem quam ad habitationem seruire: dicam quid videtur probabilius.

Responsio.

SI, vt ponit quæstio, quis ex æquo habitet in duabus domibus, videtur primus is parochus teneri, in cuius parochia reperitur cum peste inficitur, & illo absente aut officium facere detrectate, alter parochus si vocatus commode illum adire potest. Ita

a In c. Placuit, nu. 77. c. qñ quis, de sepult. in 6. Nauarrus, (a) & est valde conforme iuricononico, quia vt reue est illius parochus, & cum talis moritur, tenetur vtriq; parochia soluere iura mortuaria.

Dices, quid si non habitat ex æquo: sed tantum aliquo tempore frequentat æstiualem animi & recreationis ergo.

Re. Teneri ministrare parochum illum, in cuius parochia principalius habitat. Si modo parochus comode illū adire potest, quia is vere parochus est, non alter. (b)

b e. Is qui de sepult. in 6. Nauarr. c. Placuit nu. 84. & seq.

Q V Æ S T I O XXXIV.

Quis Scholaribus diuersarum nationum in vniuersitate aliqua commorantibus?

Quæstionis explicatio.

Difficultatem faciunt diuersæ vniuersitatum consuetudines: item distantiæ vel

vel proximitas locorum domicilij ipso-
rum, distinctione patebit quod videtur
probabilius.

Responsio.

Vel enim in vniuersitate est aliquis
designatus, & ille obligabitur, siue
per se siue per alium, quia est illorū quo ad
hoc pastor ex officij sui debito: vel non est
designatus, & tunc si cōmode proprius pa-
stor haberi potest, vt quia sit in eadem ciui-
tate, tunc obligatur proprius pastor: (a) a-
lias parochus illius loci, in quo habitauerunt
siue per annum, siue per breuius tempus,
(b) per ea quæ ante diximus.

Dices, secundum (c) Innocent. oportet
Scholares habitasse per annū in parochia,
anteq̄ censeantur parochiani: ergo non te-
nebitur parochus ministrare studioso peste
infecto, nisi per annū habitauerit in parochia.

R. Negando consequentiam: q̄ vt intel-
ligatur notādum actus scholarium & quo-
rumcunq; laicorum in cōparatione ad pa-
rochū esse in duplici differentia: Quidam
sunt vtilis sacerdoti, quibus scil. exhibetur
illi aliquod emolumentum, vt solutio deci-
marum & huiusmodi, quidā vtilis schola-
rib. & aliis quibus aliquid à parochia reci-
piunt, vt cōfiteri, communicare, audire di-
uina, & huiusmodi: Si primos actus con-

F 4 sideres,

a Nauarr. c.
placuit. n. 97.

b Panormit.
in c. omnis.

c in c. cum
contingat, de
foro compet.
c c. omnis, de
pœnit. & re-
miss.

fideres, verum est quod dicit Innocentius, quia non tenentur ad decimarum personalium solutionem, nisi per annum habitaverint in parochia. Si secundos, verum est quod diximus Scholares habere ius petendi sacramenta à pastore loci in quo habitant bona fide studendi causa, (a) sine præfinitione alicuius temporis, & cōsequenter pastorem statim obligari ad ministranda illis sacramenta, præsertim extrema necessitate spirituali occurrente.

a Panor. sup.

QVÆSTIO XXXV.

Vtrum teneantur Pastores vel alij quicunq; sacerdotes sacramenta ministrare omnibus peste infectis.

Quæstionis explicatio.

HActenus ostendimus qui teneantur tempore contagioso sacramenta ministrare siue ex debito iustitiæ siue charitatis: Respondimus etiam variis ministrantiū tergiversationibus & excusationibus ex parte ipsorum petitis: Sequitur proxime, ut examinemus: An omnibus peste infectis pastores teneantur ministrare: nam etiam ex parte peste infectorum multa subterfugia tempore pestis prætexi solent, quibus deinceps consueta methodo & breuitate respon-

respondendum est: Quod vt ordinatius & dilucidius fiat obseruandum est peste infectos plerumque multa eaque grauissima symptomata tum corporis tum animi pati: Et inprimis nauseam & frequentes vomitus, singultus, tussim, sitim inexhaustam, cruoris in ore abundantiam, sternutationes, suspirationem difficilem, linguæ tumorem, sudorem graue olentem, per omnia membra dispersum, profundissimū somnum, animi deliquium, furorem, amentiam, tantam subinde corporis insensibilitatem, vt pro mortuis reputentur; de quibus multi Medici, Historici, & Poëtæ: de prioribus corporis symptomatibus sic Galenus(a) loquitur: *Non solum morsus patiuntur peste infecti, sed & alios affectus, tum qui nauseam in eis excitant, tum qui Cardigioni vocantur & expultricem irritant.* Et Thucydides (b) describens pestem, quæ suo tempore Athenis grassata est: *Iucundissimum (inquit) in gelidam seipsos aquam inycere, id quod in puteos multi eorum, quibus custos deerat sese proyicientes fecerunt inexhausta siti adacti, quanquam perinde erat plus ac minus bibere.*

a lib. 5. de loc. affectis, c. 6. & lib. 5. sua method. c. 12.

b lib. 2. hist. de peste Athen.

Lucretius Poëta de peste infecto loquens sic ait:

Creber spiritus, raroq; coortus.

F 5 Et

Et Ouidius de eodem:

Viscera torretur primo, flammisq; fatiscunt,

Et rursus:

Aspera lingua tumet, tepidisq; arentia ventis

Ora parent, aureque graues captantur hiatu.

Et Lucanus de eodem:

Atq; animi interpres manabat lingua cruore

Debilitata malis, motu grauis, aspera tactu.

De posterioribus animi symptomatibus
a lib. 4. hist. eccl. c. 28. Euagrius (a) describens pestem quæ suo se-
 culo per quinquaginta duos annos totum
 fere orbem peragrauit, testatur plerosque
 peste infectos vi & magnitudine morbi de
 statu mētis dimotos vitam reddidisse. Cu-
 ius rei exempla & nos Leodii illo luctuoso
 anno 1579. plura conspeximus: his ita præ-
 missis quærimus generatim, an pastores seu
 alii quicumq; sacerdotes teneantur mini-
 strare sacramenta omnibus peste infe-
 ctis.

Responsio.

Teneantur indifferēter omnibus egentibus
 & rite dispositis: hæc assertio colligitur
 ex iis, quæ superiorib. quæstionib. diximus
 de officio pastorali, hoc enim est potissimū
 pastoris munus ministrare sacramenta sine
 vlla acceptione personarum: Nam in Christo
b ad Galat. 3 Iesu (inquit (a) Paulus) non est Iudæus neq; Gra-
 cus, neq; seruus, neq; liber, neq; masculus neq; fæ-
 mina. Dixi,

Dixi (*egentibus*) quia ^(b) non est opus valenti-
bus medicus, quales sunt paruuli, qui defectu
 usus rationis nequid potuerunt peccare,
 saltem mortaliter, & à natiuitate amen-
 tes, & si qui sint adulti, de quorum bono
 statu moraliter pastori constat. a *Matth. p.*

Dixi (*Rite dispositis*) quia alijs sacramenta
 non profunt sed officiunt, & sacerdos illis
 scienter dispensans sacrilegium committit,
 indigne res sacras pertractans, contra vir-
 tutem religionis.

Dices: Pastores sæpe dubitant de subdi-
 tis, an sint sufficienter dispositi, tenebuntur
 non obstante dubio, & illis ministrare:

& Tenebuntur si facto examine pro ra-
 tione temporis quod illis tunc conceditur
 manent speculatiue dubii, illo enim casu
 debent se practice resolueret & inclinare ad
 partem quæ fauet animæ, vt initio osten-
 sum est.

Q V Æ S T I O XXXVI.

An teneantur etiam famulis & ancillis.

Quæstionis explicatio.

NOta primo famulos & famulas præ
 dominis & dominab. citius peste cor-
 rumpi eo qd illis ex officio incūbit huc & illuc
 ad procuranda domus necessaria discurre-
 re in foro & locis publicis versari, emere,
 mercari,

mercari, domus etiam cubicula verrere, vestimenta mundare, linea lauare, quibus modis vt initio diximus, maximè pestis concipitur. Secundo nota huiusmodi peste correptos ob seruilem conditionem, parum christiane, à Dominis in hac necessitate extrema plerumq; negligi: Horum occasione quæritur: An sic neglectis pastor teneatur ministrare sacramenta; an vero ab administratione excusetur.

Responsio.

Non excusatur, sed tenetur ministrare non secus ac ipsis dominis & dominabus, quia per Baptismum, qui dominis & famulis communis est, vtriusq; ius æquale acquisitum est ad petendum & recipiendum sacramentum: Non ergo famulis obesse debet seruile cōditio, cum quoad perceptionem sacramentorum omnes fideles sint æqualis conditionis, vt bene probat Pontifex Adrianus (a) illis Apostoli verbis paulo ante citatis: (b) *Quicumque baptisati estis in Christo, Christum induistis: Non est iudeus neque Græcus, non est seruus neque liber.*

a c. dignū, de
eoiug. seruo.
b Galat. 3.

Dices: Pastor non solet vocari in huiusmodi casu ad seruos & ancillas.

R. Sicubi talis inoleuit consuetudo, tanquā abusus & corruptela intollerabilis per
Præla-

Prælatos & pastores corrigi debet, ubi omni iuri naturali, diuino & humano contraria.

Dices secundò: Quid si eodem tempore vocetur illuc quidem ad dominum, isthuc vero ad famulum vel ancillam, pro eodem sacramento?

R. Cæteris paribus, locus est gratificationi. Dico (*cæteris paribus*) quia fieri potest, famulum præferri debere, si in maiori necessitate salutis sit constitutus, ut fieri frequenter solet.

QVÆSTIO XXXVII.

An etiam in amentiam & furorē actus.

Quæstionis explicatio.

Tanta est vis morbi pestilentialis, ut illo correpti, frequentissimè in delirium, phrenesin, amentiam, furorē & huiusmodi alias animi passiones incidant, ut paulò ante notauimus: Quæ causa est, ut tempore pestilentiali frequenter in quæstionem vertatur: An & illis Sacramenta ministranda sint: quæ eò periculosius disputatur, quòd non desint (*a*) Doctores, qui existimant, sine discrimine illis neganda esse. Horum occasione quaeritur: An & illis pastores

*a Gabr. in 4.
dist. 9. q. 4.
Alexa q. 4. 98
memb. 4.*

94 DE NECES. ET MOD. MINIST:
stores sacramenta ministrare debeant: an
verò iuxta aliorum opinionem excusent.

Responsio.

Distinguendum est inter amentes. Aut enim antequam in amentiam inciderent, sacramenta neglexerunt, vel etiam de illis malè senserunt: aut contra piam & religiosam voluntatem erga illa præ se tulerunt: Si primum, non sunt illis ministranda sacramenta, non ratione furoris vel amentiae, sed voluntariae indispositionis, puta, quia sua infidelitate vel crassa negligentia indignos sacramentis se reddiderunt.

Si secundum: Tenebuntur pastores illis ministrare, nisi periculum vomitus, expuitionis & similis irreuerentiae timeatur: fieri enim potest, ut ab ultima sacramentorum perceptione peccarint mortaliter, & in amentiam inciderint, tantum attriti, fiant. v. cōtriti per sacramentorum applicationem, ut initio annotauimus.

Dixi (*nisi periculum vomitus, expuitionis, aut similis irreuerentiae timeatur*) propter sacramentum Eucharistiae: de quo suo loco dicemus.

Dices: Non possunt amentes se ad sacramenta recipienda disponere.

Resp. Non esse necessariū, ut iam se disponāt, potuerunt enim antequam in amentiam in-

tiam incidissent, se disposuisse, & ideo tunc non ad ipsos, sed ad pastores pertinet, illos illorumque dispositionem examinare: nã si nõ cõstat, eos fuisse prius in peccato mortali, *(a) presumendi sunt boni, quia mali nõ probantur:* Si autem constiterit, peccasse mortaliter, oportet vt constet, vel fuisse confessos si potuerunt, vel si non potuerunt, saltẽ signa contritionis dedisse.

*a c. final de
presumpt.*

Dices 2: Tenentur quoque pastores illis ministrare, qui perpetuo amentes fuerunt.

R. Non tenentur ministrare sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ & extremæ unctionis, quia non indigent: neque obstat, quod aliis amentibus, qui videlicet aliquãdo vsum rationis habuerunt, ministrare teneatur, quia magna est ratio diuersitatis inter hos & illos: nam qui post vsum rationis amentes facti sunt, fuerunt re ipsa obligati præcepto percipiendi sacramenta, vnde presumuntur vel explicite vel saltem implicite sacramenta petiisse, & petẽdo speciale ius ad illa acquisiuisse, quod merito eis ecclesiæ seruare vult, quod locum habere non potest in iis, qvsum rationis nunquam habuerunt.

QVA

QVÆSTIO XXXVIII.

An etiam non petentibus.

Quæstionis explicatio.

PLuribus ex causis accidere solet, ut peste infecti sacramenta non petant, vel quia vi morbi præoccupati non habent facultatem loquendi, vel quia non habent, qui pastorem aduocet, vel quia falso existimant, sibi sacramenta non deberi, propter seruilem conditionem, de qua statim diximus, vel quia hæresi infecti, credunt cum Nouatoribus nostri temporis, sacramenta non esse ad salutem necessaria. Horum & similibus occasione quaeritur: An pastor excusetur, si huiusmodi non petentes sacramenta, moriantur sine illis, an vero teneantur ministrare?

Responsio.

DIco primò. Quod si adhibita cõgrua monitione, doctrina & exhortatione hæretici peste infecti in sua pertinacia perseverent, non solum non tenentur illis ministrare, sed licet non possent, etiam si illa peterent, quia per infidelitatem se indignos sacramentorum participatione reddunt, ut manifestum est.

Dico

Dico secundo: Pastorem extra huñc casum teneri non solum ministrare sacramenta, dum vocatur & petitur ab amicis & vicinis peste infectis, sed etiam, dum non vocatur, nec ager morbo prauetus illa petere potest, aut falsa perualione deceptus, illa non petit, ratio est, quia pastor ex officio tenetur vigilare & sollicite inquirere, num aliqui tali tempore à parentibus, dominis, & amicis sint deserti, vt eis ipse, maxime in spiritualibus, subueniat, vt ante diximus. Neque obstat, quod actualiter non petant sacramenta, quia sufficit, quod illa implicite & interpretatiue petunt, dum contritionis signa præ se ferunt, siquidem in signis istis est tacita petitio sacramentorū: & confirmatur, quia contritio includit voluntatem implendi omnia Dei præcepta, ergo & illud, quo tenemur in articulo mortis sacramenta perciper.

Dices: Hoc pacto sacramenta exponuntur periculo irreuerentiæ, quia fieri poterit vt minus bene dispositis dispēscent, quod sine irreuerentiā fieri nequit.

R. Cum huiusmodi aliter ad sacramenta disponere se non possint, incumbit pastori, vt inquirat de dispositione, quam ante morbum habuerunt, & iuxta comperta de eis iudicet, quod non est difficile, iuxta

G Palu-

a Palud in 4
dist. 9. q. 4.
b Sylu verb.
Euchar. 3. n.
7:

Paludanum (a) & alios (b) quacunq; probabili fide in tali necessitate credantur esse bene dispositi, sufficit vt illis sacramenta ministrantur: Quod à pastoribus bene notandum & obseruandum est.

QVÆSTIO XXXIX.

An etiam Interdictis

Questionis explicatio.

c c. Non est
vobis de spō.
E c. quod in
te de pan. &
remiss. & ibi
Da.

Interdictum Ecclesiasticum (c) prohibet non solum diuina officia, sed etiam Sacramenta. Ideoque quæret aliquis, an etiam illo casu, quo patria p̄ste infecta, ecclesiastico subiacet interdicto, pastor teneatur sacramenta ministrare an vero ab administratione illarum excusetur?

Responjo.

d c. non est de
sponsal.
e c. Non est.
f c. quod in te
de pan. & re-
mission.

Tenetur ministrare quod enim dicitur interdicto prohiberi sacramenta, de iis intelligi nequit; quæ iure aut priuilegio aggrauatis permittuntur: Itaque cum paruulis (d) baptismum, & p̄nitentiam (e) infirmis nec non eucharistiam (f) seu viaticum in articulo mortis constitutis, iura expresse mittant, tenetur pastor, non obstante interdicto, ea illis ministrare; de quibus, sicut & de ex

de extrema vnctione suis locis aliquid particularius dicemus.

Dices: Tenebiturne pastor & illis ministrare, qui fuerunt causa interdicti, aut qui consilium, fauorem, auxilium delicto prae-buerunt, propter quod positum fuit interdictum.

R. Tenebitur: Si tamen prius satisfecerunt (a) aut cautionem saltem iuratoriam a Almamater de sentet. excom. in. 6. dederint, se duros operam fideliter, vt satisfiat: nisi ita sint dispositi, vt rationis & sermonis vsu, ad id praestandum sufficientem habeant, tunc enim satis est, eos signa contritionis dedisse.

QVÆSTIO XL.

An etiam excommunicatis.

Questionis explicatio.

Omnis excommunicatio à participatione sacramentorum excludit, & plerumque omnes maiores reseruatæ sunt superioribus: Ideo forte quæret aliquis, an pastor excusabit, si sacramenta illis non ministrat, sed ad superiores pro absolutione remittat

Responsio.

Tenetur pastor non solum excommunicatis sacramenta ministrare, sed prius
G 2 etiam

etiam absolutionem à quacunque censura impendere, quia in mortis articulo omnis sacerdos quo suis pœnitentes à quibuscunque etiam reseruaus absoluit, vt ante ostēdimus.

Dices: Quid si excommunicati teneantur ad restitutionem aliquam vel satisfactionem, nec possint satisfacere, tenebiturne pastor nihilominus illos absoluerē.

*a. c. Alma
mater de sen
tent. excom.
in 6.*

*b. l. impossi-
bilitatem ff.*

Re. Tenebit, petita (a) prius cautione, que fiet vel per fideiussores, vel per iuramentū, vel alio quocunque modo: Quia, imo si is sit necessitatis articulus, vt nihil horum ab eo præstari possit, tenebitur, sine vlla cautione absoluerē, quia (b) *nemo potest ad impossi-
bile obligari.*

Dices secundo: Quid si excommunicati necdū peste infecti sunt, sed propter magnam aëris infectionem pbabiliter timeantur, ne peste corripiantur & ex hac vita abripiantur, tenebitur quoque tales absoluerē, vel ad superiores mittere.

Re. Probabile est teneri: nam illo casu, quando pestilentia ex aëris infectione nascitur, omnibus probabile periculum mortis ingruit, quo fit, vt non immerito illo periculo sissimo tempore omnes censerī possint in mortis articulo, ad eum saltem effectum

etum, ut à censuris & casibus reseruatis per inferiores pastores in absentia Superiorum absolui possint, per ea, quæ pluribus locis ante diximus.

Dices postremo: Quid si sic absoluti præferentur & non inficiantur, vel peste infecti, ab ea liberentur, tenebuntur ne ratione reseruatiōis iterum ad superiorem recurrere?

R. Tenebuntur: Sic enim Ius (a) disponit: *Quod si (inquit) forsitan antequam ab eo, qui potestatem habet, absolui possint, mors talium committi fieri volentium verisimiliter timeatur, etiam in prædictis casibus sæpe facti fratres eos confiteri volentes audient, ipsisq; beneficium absolutionis impendent, sed subeant iuramenta, quod liberati se suis Episcopis & excommunicatoribus presentabunt, excommunicantium super his pro quibus ab eis excommunicati erant, parituri mandatis.*

*2 Extraung.
inter cunctas
§. incendia-
vii.*

QVÆSTIO XLI.

Pluribus sacramenta simul petentibus, quibus Pastor prius ministrare teneatur.

Quæstionis explicatio.

A Ere pestilentia infecto, cum passim in pagis & urbibus lues sæuit, & ex hac vita multos mortales eripit, plurimi periculo deterriti, spe salutis corporalis abiecta,

G 3 grega-

gregatim pro remediis spiritualibus concurrere solent, tanto saepe numero, ut pastores ipsi angustientur, nec sciāt, quibus primum seruire debeāt, quin etiam non raro graues contentiones exoriantur, dum hic vel ille iniuriose se postpositum queritur, cuius exemplum vidimus triste Leodii, anno 1579. vbi prae multitudiae infectorum, sacerdos publicus ad seruiendum agris in hoc munere conductus, equum conscendere cogebatur, ut celerius ad peste infectos ad quos omni hora vocabatur, accurrere posset, nec tamen omnium vq̄tis satisfaceret: huius occasione quaeritur, an pastores in huiusmodi concurrentia seruato aliquo ordine sacramenta ministrare teneantur: an vero ab administratione excusentur.

Intellectus huius quaestionis, pendet ex iis, quae Theologi tradunt apud Magistrum sententiarum (a) & D. Thomam (b) in mater. de charitate & charitatis ordine, beneficentia, eleemosina, pietate & quibusdam aliis, ex quibus pro fundamento responsionis nostrae tria praesuppono.

Primum: duo esse principia charitatis vnum Deus, alterum ipse diligens.

Secundum: Quatuor (c) esse ex charitate diligenda, primum Deus ipse, secundum animam

a in 3. dist. 27

229.

b 2. 2. q. 26.

31. & 33.

c D. Auguf.

l. 1. de do. chr

c. 23. n. 26.

anima nostra, tertium anima proximi nostri, quartum tam corpus nostrum, quam proximi.

Postremum: illud prius ex charitate diligendum esse tam interiori affectu, quam exteriori effectui, quod est coniunctius & propinquius ipsis principiis dilectionis: *ubi enim, ut ait (a) Philosophus, est aliquis ordo, illud est prius in ordine, quod est propinquius & coniunctius ei quod est ordinis principium, sic sanctior, quia est propinquior Deo, & consanguineis, quia est propinquior diligenti, magis diligendi sunt & in beneficentia & eleemosina, ceterisque pietatis & charitatis officiis præferendi.*

*a lib. 5. metal.
tex. 10.*

Responsio.

Primum, dico pastorem peste grassante teneri prius seipsum, (neque enim sui ipsius obliuisci debet) quam quoscunq; alios etiam subditos sacramentis munire, quia hoc ordo charitatis requirat: nam ratio cur debeat seipsum diligere secundum spiritualia bona, qualia sunt sacramenta, de quibus modo loquimur, est, quia ipse est capax beatitudinis supernaturalis, ratio autem, quare secundum eadem eadem bona debeat subditos suos dili-

G 4 gere

gere, est, quoniam subditi sunt ei societate quadam coniuncti per eiusdem beatitudinis capacitatem, sed maior & urgentior est ratio seipsum diligendi, quam illa altera diligendi subditos, sicut *vnitas multo arctius est vinculum, quam vnio siue coniunctio*, vt bene asserit (a) D. Thomas ex Philosopho, ergo multo magis tenetur pastor seipsum diligere secundum illa bona, quam quemlibet subditum atque adeo etiam quam omnes simul, siquidem neque cum illis omnibus intercedit ei amplius, quam coniunctio & societas in eiusmodi capacitate beatitudinis. Confirmatur clare hæc doctrina, ex illa forma præcepti: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*

a 2. 2. qu. 26.
art. 4. c. 3.

Vnde sequitur, male sibi consulere pastores illos, qui ministrant sacramenta peste infectis, in statu peccati mortalis, sub prætextu salutis suorum subditorum, aut etiam totius suæ ecclesiæ seu comun-
tatis: *Quid enim prodest homini, (inquit Saluator) si vniuersum mundum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur.*

Dico 2. Pastorem proximo loco teneri ministrare sacramenta magistratui seu domino ecclesiæ seu parochiæ suæ, quocunque nomine ille appelletur, quia persona publica debet præferri priuatæ, siquidem
illam

illam diligere, est diligere totam communitatem.

Dico tertio: Post se ipsum & dominum parochiæ pastorem obligari ad ministranda sacramenta prius consanguineis si quos habet suæ curæ pastorali subiectos, quam quibusvis aliis, quia consanguinei magis coniuncti sunt ipsi diligenti.

Dixi (*si quos habet suæ curæ subiectos*) quia si non sint subiecti præferendi erunt alii subditi, qui sunt filii spirituales pastoris, & ideo quoad spiritualia magis coniuncti, quam consanguinei externi, & consequenter magis diligendi, ut sequitur ex fundamentis ante positis, & docet expressè D. Thomas (a) ex D. Ambrosio. (b)

a *supr. art. 8.*

b *lib. 1. offi.*

c. 1.

Dico quarto: Pastorem teneri prius sacramenta alicui insigni amico curæ pastorali subiecto, à quo scilicet eximia aliqua beneficia acceperit, quam alicui consanguineo nō ita propinquo, quamvis eiusdē curæ subiecto ministrare, quia omnib. consideratis, merito amicus talis censerī potest coniunctior simpliciter, ut tradit Ioannes apud D. (c) Thomam.

c *supr. art. 8.*

Dixi (*non ita propinquo*) quia si pater sit curæ pastorali filii sui subiectus, sicut ille amicus, tenebitur filius patri prius providere de sacramentis quam alteri cuicum-

G 5 que

que amico, etiamsi maximum alioqui beneficium contulerit, quia *diis & parentibus non possunt reddi equalia*,

a Arist. lib. 8. Ethic. c. ult.

b 2. 2. q. 26. art. 9. ad 3.

Dico quinto: Pastorem magis teneri ministrare sacramenta patri quam filio etiam legitimo, iuxta doctrinam S. (b) Thomae. Nam praeceptum pietatis in casu necessitatis magis urget ad subueniendum patri, Imo etiam praeceptum charitatis, utpote quae imperat & mouet omnes alias virtutes.

c In cap. 44. Ezech.

Dico sexto: Similiter teneri prius ministrare sacramenta patri quam matri; Nam pater est filio coniunctus tanquam principium actiuum: mater ut passiuum, & sic multo arctius quam mater. Confirmatur hoc ipsum ex diuo (c) Hieronymo, qui in ordine dilectionis constituendo, affirmat post Deum debere diligere patrem naturalem, deinde matrem.

Dico septimo: Similiter prius teneri parentibus, quam concubinae, si quam forte habuit, quia maior est coniunctio cum illis, deinde quia est maius debitum erga illos, ut patet.

d supr. art. 12. ad 2.

Dico octauo: Similiter teneri prius ministrare benefactoribus, quam illi cui benefecerit, secundum D. (d) Thomam & alios, quia benefactoribus obligati sumus saltem

tem ad antidota, aliis non item, quamquam iuxta Philosophum, natura facilius sit eum diligere, cui benefecerimus, quam à quo beneficium acceperimus.

Dico nono & extremo, quod quamuis, ceteris paribus, præscriptus charitatis ordo in huiusmodi necessitate spirituali sacramentorum seruandus sit, & in perturbatione huius ordinis grauia subinde peccata interuenire possint: Nihilominus tamen secundum D. Augustini (a) & D. Thomæ (b) doctrinam pro ratione temporum locorum, & negotiorum variari potest & debet: Nam in aliquo casu prius erit subueniendum extraneo, puta, si sit in maiori necessitate, quam cuiuscumque etiam maxime coniuncto.

a lib. 2. de
doct. Christ.
c. 28.
b Supr.

Dices: Cui prius ministrabit pastor sacramenta, pauperi an diuiti?

R. Conditionem diuitiarum vel paupertatis ad hanc rem esse impertinentem: Hinc bene parochiale (c) Leodiense monet, statim initio instructionis pastorum, parochum in sacramentis ministrandis æque pro paupere ac diuite debere esse sollicitum.

c. pag. 1. §. diligentia.

Dices secundo: Cui prius ministrabit, malo, de cuius perfecta contritione dubitat, an bono de cuius magis sperat?

R. Quod

R. Quod malo, veluti in maiori periculo & necessitate constituto.

Dices tertio: Quod si inter æquales ciues nascatur quæstio, quis cui sit præferendus, & utrinque sint argumenta, quare hic illi & contra præferri debeat, quid faciet pastor.

R. Non debet scrupulosius huiusmodi quæstionem examinare, sed practice & bona fide simpliciterque procedendo, debet sese in alteram partem resolvere & sacramenta ministrare, per illa quæ superius diximus.

Dices postremo: Quale est peccatū non seruare ordinem.

Respondeo: Posse esse mortale si magna sit ordinis peruersio, puta si neglecto patre in æquali necessitate constituto ministret sacramenta extraneo; veniale vero,

si non sit tanta, puta si mater præferatur patri, vel soror fratri.

QVÆ.

QVÆSTIO XLII.

Pluribus Pastorem vocantibus vno ad baptizandum, altero ad confessionem excipiendam, alio ad communicandum, altero ad vngendum, alio ad matrimonium contrahendum: Cui prius teneatur.

Quæstionis explicatio.

HÆc quæstio ex eodem fonte quo præcedēs originem trahit: hoc enim frequenter accidit, cum pestis vel similis persecutio grassatur, suntque pauci sacerdotes qui sacramenta ministrent, vt eodem tempore quidam sacramentum confessionis, alii Eucharistiæ, alii extremæ vñtionis, alii etiam sacramentum Baptismi ab vno & eodem pastore petant. Cuius casus meminit D. (a) Augustinus his verbis: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum peruenitur extrema, quantus in ecclesia fieri soleat ab viroque sexu, atque ab omni etate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & sacramentorum confectionem & erogationem. Vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt vel ligati? Quantus etiam est luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ*
requie

*a Epist. 18e.
ad Honorat.*

requie non habebunt? Quantus deniq, gemitus omnium, & quorundam, quanta blasphemia de absentia ministeriorum & ministrorum? Huius occasione quaeritur, quem ordinem in huiusmodi casibus tenebitur obseruare.

Responsio.

PRimo loco ministrabit sacramentum Baptismi. Quare si sit infans peste infectus seu recens à matre peste infecta in lucem editus, omnibus postpositis sollicitè curabit, vt illum baptizet, quia præ reliquis est in maiori necessitate: Siquidem fidei articulus est, paruulum alia ratione quam baptismo realiter suscepto saluari non posse, per illud: *(a) Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum caelorum.*

a Ioan. 3.

Secundo loco ministrabit sacramentum pœnitentiæ, quia relapsis in peccatum mortale post baptismum, est reliquis sacramentis magis necessarium, sine illo enim, re vel voto suscepto, nemo relapsus saluari potest. Siquidem licet Eucharistia, Confirmatio, extrema Vnctio suo modo respectiue sint in præcepto, atque ita obligent ad sui susceptionem, tamen subinde quis sine illis saluari potest, vt si quis à confessione ex hac vita subito rapiatur, ita vt votum seu deside-

desiderium expressum cæterorum sacramentorum formare non possit.

Tertio loco Eucharistiam.

Postremo, extremam Vnctionem, quæ etsi ministranda veniat, non est tamen tanta necessitatis, vt sunt reliqua sacramenta, de quibus singulis plura consequenter suis locis dicemus.

Dices primo: Quid si plures sint qui simul petât baptizari, vel simul petant confiteri, & sic de aliis?

Respondeo ex dictis resolutionē patere.

Dices 2. Potest etiã esse peccatū mortale non seruare ordinem in ipsis sacramentis.

ꝛ. Iudicandum fore pro diuersitate peruersionis & iniuriæ, quæ ob illum non seruatum inferitur, v.g. si ad duos vocatur, ad vnum pro baptismo, ad alteram pro extrema vnctione, & relicto baptizando ministret extremam vnctionem, mortale erit, quia maximam iniuriam infert infanti, exponēdo illū periculo aternæ damnationis: Si ad alios duos vocatur, ad vnum quidem pro sacro viatico, ad alterū pro extrema vnctione, & personæ pares sunt, non videtur nisi veniale, si postposito viatico ministret extremā vnctionem, præsertim si sciat mortaliter loquendo neutrum esse in periculo salutis, quia alteri nō ita grauē iniuriā infert.

Q V Æ.

QVÆSTIO XLIII.

Quis modus ministrandi sacramenta tempore pestis sit optimus & maxime probandus.

Quæstionis explicatio.

Diximus superioribus quæstionibus, qui teneantur ministrare sacramenta tempore pestis, & quibus peste infectis administranda sint, simulque respondimus excusationibus, siue ex parte ministrantiũ, siue ex parte recipiẽtium petitis, quæ à quibusdam parochis, vt ab hoc officio illo tempore maximè necessario se subtrahant, afferri solent: Sequitur vt inquiramus de modis, quibus illa ministrare debent vel non debent: Siquidem quidam illorum, cum nullam excusationis causam superesse vident, qua à sacramentorum administratione se excusare possint, solent alios atque alios administrandi modos, & plerique erroneos, & ab ecclesiastica consuetudine alienos effingere, vt hoc pacto, si sacramenta ministrare necessum sit, quasi moderate quodam adhibito, periculum contagionis euitent. Cæterum vt ordinatè in his discutiendis procedamus, primum ostendamus quis sit optimus & maxime laudandus modus, ministrandi quem illi sequi debeant,

debeant: deinde erroneos modos, à quib. illi abstinere debent, consueta methodo & breuitate aperiemus. Et quia necessum est illos vel contra substantialia sacramentorū h. e. materiam & formam, nec non eorum applicationem, vel contra accidentalia seu illorum ritus & ceremonias peccare: Primum quæremus, qui sint, qui cōtra substā- tialia peccāt: cum enim sine ipsis sacramē- ta subsistere non possint, fit vt ante omnia illi reprobādi & extirpandi sint: tandem q̄ sint illi, qui contra accidentalia peccare vi- dentur, cum enim in necessitate, & p̄sertim tempore pestis, variationem admittant, fit vt de illis varie iudicari debeat, vt in pro- gressu fiet manifestum.

Responsio.

Hic modus ministrandi maximè neces- sarius est, per quem minister adhibet in primis omnia substātia certa, & mini- me dubia, h. e. certam materiam & formā quantam fieri potest. Deinde vsitatos diœ- cesis sive ritus vel omnes vel aliquos, prout suscipientium vtilitati & ipsorum sacramē- torum venerationi pro ratione temporis & aliarum circumstantiarum, adhibendi vi- debuntur: his enim obseruatis, nihil est, q̄ amplius desiderari videatur.

H

Dixi

Dixi (*in primis substantiale*) non quod velim tempore pestis semper substantialia sacramentorum precedere: est enim frequenter locus etiam aliquibus ceremoniis accidentalibus, quæ merito propter reuerentiam sacramenti præmitti debent: sed quia si quid ex omnibus propter angustiam temporis omitti debeat, nullo tamen casu substantialia vel quicquam illorum omitti debebit, cum illis, vel altero illorum omisso, nihil fieri possit, vt patet.

Dixi 2. (*certa & minime dubia*) quia si minister adhibeat materiã vel formam incertã & dubiam, cum possit adhibere certam, etiam si id faceret sequendo opinionem probabilem speculatiue, graue sacrilegium committeret, vt communiter Doctores nostri tradunt, & ratio clara conuincit: Exponit enim se in huiusmodi electione periculo nihil faciendi, vt in sequentibus particularius ostendemus.

Dixi 3. (*quantum fieri potest*) quia in necessitate, si deesset materia certa, adesset autẽ incerta, sed probabilis, qui tunc illa vteretur, non censeretur exponere se periculo sacrilegii, sed potius pati seu permittere aliquod periculum, quod vitare non potest, vt sacramentum conficiat *altem* probabile. Quo casu administrari debebit

SACRAM. TEMPOR. PESTIS. II

bebit sacramentum sub conditione, iuxta illa, quæ prima quæstione supposuimus.

Dixi 4. (deinde adhibet vsitatos suæ diocesis ritus) quia quilibet pastor tenetur vti ritibus suæ diocesis, nec potest vti alterius (a) cuiuscunque, ne Romanæ quidem aut Metropolitanæ, sine licentia Superioris.

a Palud. in 4. dist. 3. colligitur ex c. Quoniam, de off. iud. or.

Dixi postremo. (vel omnes vel aliquos, qui pro ratione temporis & aliarum circumstantiarum adhibendi videtur,) quia in casu pestis, de quo disputamus, vt frequentius periculum vel suscipietis, quia videtur animam agere, vel ministrantis, quia euidentis & quasi certum adest contagionis periculum, non permittit omnes adhiberi.

Dices I. Poterit ergo pastor pro libitu hos vel illos ritus omittere?

R. Illi non omittere pro libitu, quando in casibus iam dictis, vt substantialia saltem ministrat, accidentarios ritus omittit.

Dices II. Poterit ne immutare?

Non poterit: hoc enim ad eum solum pertinet, ad quem pertinet instituere & precipere, Pontificem videlicet vel Episcopum, vt ex dictis prima quæst. manifestum est.

Dices III. Quale peccatum est, ritus Ecclesie vsitatos immutare?

R. Est mortale, vt comuniter nostri Dd. tradunt: est enim contra virtutem religionis,

& ad sacrilegium pertinet, sacrilegium autem ex suo genere mortale est, potest vero esse veniale, ex leuitate materie, sicut alia peccata contra alias virtutes, si modo absit scandalum & contemptus vel intentio introducendi nouum ritum, vel danandi aliquem usum ecclesie, nam ex his circumstantiis etiam in leui materia, ritus immutare fieret mortale.

QVÆSTIO XLIII.

Quid censendum de modo ministrandi illorum, qui incertam materiam vel formam adhibent, cum possint certam.

Quæstionis explicatio.

Quamuis omnes materie & forme sacramentorum à Christo sint determinate, tamen de multis rebus ac verbis saepe disputatur à Doctoribus, an illæ sint omnino eius nature, cuius sunt res à Christo pro materiis institutæ, & an hæc vel illa verba, sint eius significationis, cuius sunt verba pro formis à Christo instituta: Et cum quidam probabiles pro veritate materie & forme rationes habeant, forte existimare possent, indifferens esse, an illa probabili, an verò certa alia materia vtantur: horum & similitum occasione queritur, quid de modo ministran-

ministrandi sacramenta in probabili materia
vel forma, relicta certa, censendum sit.

Responsio.

Modus ille ministrandi reprobandus est,
neq; usurpandus, nisi in casu, quo certa ma-
teria & forma haberi non possit, primã hu-
ius assertionis partem probat D. Augustin. *l. 1. de Bapt.*
his verbis: *In rebus (inquit) ad anima salutem cap. 3.*
pertinentibus hoc ipso grauiter quis peccat, quod ser-
tis incerta preponat: altera probatur per illa,
quæ ante diximus, quia præstat ministrare
sacramentum probabile, quam omnino
nullum.

Dices: Quale peccatum est, sine causa
hoc modo sacramenta ministrare?

R. Esse mortale, & ad speciem sacrile-
gii referri, qui enim sic ministrat, exponit
se manifesto periculo, faciendi nullum sa-
cramentum: In moralibus autem idem est,
aliquid facere & exponere periculo illud
faciendi. Deinde facit contra vniuersalẽ ec-
clesiæ consuetudinẽ & vsum, quo videm⁹,
sacramenta ministrari in materiis certis &
semp vniuniformibus: Postremo, quia Chri-
sto ipsi sacramentorum institutori iniuriam
faciunt, 2. ipsis sacramentis, demum ipsis
susipientibus, qui tum sacramentis, tum ef-
fectu illorum pprio, hoc pacto defraudari
possunt.

H 3 Dices

Dices secundo: Licebitne pastorib⁹ uti sacramentis dubiis ad vitandum saltem vitæ corporalis periculum?

R. Minimè; quia hoc esset vitam spirituales proximi exponere periculo æternæ damnationis, propter vitã suam corporale quod est contra ordinem charitatis: Notet ergo diligenter pastores regulam hanc generalem, nunquam licere dubiis sacramentis uti, nisi vnico casu, quo simpliciter & absolute aliter sacramenta administrari non pnt,

Q V Æ S T I O XLV.

Quid de illorum, qui non simul tempore, sed prius materiam & postea formam, vel contra adsibent in min. Sac.

Quæstionis explicatio.

Materiam & formam in sacramentis simul adhiberi debere, probatur ex illis verbis Diui Augustini, (*a*) *Accedit verbum & ad elementum, & fit sacramentum: Detrahe verbum & quid est aqua nisi aqua?* verbũ enim *Accedit*, coniunctionẽ aliquam significat. Et quamuis D. Augustinus hæc dixerit de sacramento Baptisimi, eadem tamen ratio videtur esse de omnibus sacramentis: Cum enim materia & forma sint partes sacramentorum, debent simul esse & vniri, ut vnum sacramentum componant: Cæterum quia
tempo

a Tract 80. *super Ioã. & ad elementum, & fit sacramentum: Detrahe verbum & quid est aqua nisi aqua?* verbũ enim *Accedit*, coniunctionẽ aliquam significat. Et quamuis D. Augustinus hæc dixerit de sacramento Baptisimi, eadem tamen ratio videtur esse de omnibus sacramentis: Cum enim materia & forma sint partes sacramentorum, debent simul esse & vniri, ut vnum sacramentum componant: Cæterum quia
tempo

tempore grassantis pestis multa incidunt, quæ sæpe impedire videntur huiusmodi cōiunctionem: idcirco quæritur, quid censendum de hoc modo ministrandi, quo pastor prius vnum, postea aliud adhibet.

Responsio.

ET hic modus ministrandi reprobatus est: si tamen necessitas cogat diuisionē aliquam fieri, non est propterea omittendum sacramentum: ratio prioris partis est, quam ante diximus, quia sacramenta vnum quoddam sunt, debent ergo illius partes suo quodam modo esse simul.

Dico (*suo quodam modo*) quia non potest metaphysice designari, quanta debeat esse coniunctio & propinquitas: est ergo moraliter pensanda, & obseruandum, ut omnes monent, ne fiat magna interpolatio, ut ex modo, quo fit actio, & proferuntur verba iuxta communem & humanum modum concipiendi, intelligatur vnum alteri applicari, atque vnum ab altero determinari.

Et hinc patet ratio posterioris, quia videlicet non requiritur coniunctio mathematica, sed moralis, quæ potest consistere cum aliqua physica disiunctione aut diuisione, ut dum post sæpius interruptam confessi-

onem sequitur absolutio, quæ tamen facit vnum sacramentum secundum omnes, & vsus quotidianus testatur: & in matrimonio, quod fit inter absentes, inter vtramq; partem potest intercedere aliqua mora, vt manifestum est.

Dices: Requiriturnè eadem & æqualis coniunctio materiæ & formæ in omnibus sacramentis?

R. Minimè; sed pro ratione & natura sacramentorū debet esse maior vel minor: maior in baptismo, confirmatione, extrema vnctione, ordine: minor in reliquis, vt nos in singulis sacramentis particulatim ostendemus.

QVÆSTIO XLVI.

Quid de illorum, qui diuidunt Sacramenta, putano vno adhibente materiam, altero formam.

Quæstionis explicatio.

Magnam leuamen pastorum esset, si ad euitandum cõtationis periculū vti possent ministro coadiutore, qui præsertim materiam peste infecto applicaret, ipsis à longe formam recitantibus: idcirco queritur generatim, an modus ministrandi sacramenta cum huiusmodi diuisione possit admitti & tolerari?

Responsio.

R. sponſio.

Nequē hic modus permitti & tolerari debet, niſi in caſu, quo nulla ratione aliter ſacramentum miniſtrari poſſit, quāuis in ſacramento pœnitentiæ & matrimonio aliquid ſingulare reperiatur, de quo ſuſ locis agemus.

Prior pars p̄ ex uſu communi eccleſiæ, nunquam enim viſum vel auditum fuit in eccleſia ſacramenta aliter miniſtrari, quam vno & eodem miniſtro applicante materiā, & ſuper applicationem ſuam proferente formam; communis autem uſus eccleſiæ ſatis indicat illam fuiſſe Chriſti Inſtitutoris mentem, vt illa ſacramenta eo modo & non alio miniſtrarētur: p̄ idem ex formis ipſorum ſacramentorum, nam baptizando miniſter dicit, Ego baptizo te: confirmādo, Ego te confirmo chriſmate ſalutis, & inungēdo infirmum dicit per iſtam vñtionem; Ex illis enim ſatis patet, & applicationem materiæ & prolationem formæ ab vno & eodem miniſtro fieri debere.

Alterā p̄: quia (4) non deſunt Doctores magni nominis, qui aſſerant, eo modo in neceſſitate ſacramenta miniſtrari poſſe: ſtante ergo huiuſmodi dubio, quamdiu nihil de ea re ab Eccleſia definitū eſt, præſtat

*a Marſ. in 4.
q. 4. ar. 8. du.
II.
Caiet. in 3.
D. Th. q. 67
art. 6.*

H 5 in ne-

in necessitate, hoc modo sacramētum probabile ministrare, quam nullum.

Dices: Possentne quoque tolerari in necessitate, vt vno applicante materiam & proferente formam saltem ex parte alter suppleat?

R. Eodem modo de hoc casu dicēdum videtur, quo diximus in priore.

QVÆSTIO XLVII.

Quid de illorum qui nullis in ministracione Sacramentorum ceremoniis vtuntur?

Quæstionis explicatio.

HActenus ostēdimus quid censeri debeat de modis ministrandi illorum, qui circa materiam & formam, vel eorum applicationem peccare videntur. Consequenter dicendum est, quid statui debeat, de iis qui peccare videntur circa illorum ceremonias, sicut enim tempore grassantis pestis super illis quæstiones sæpe moueri solent, ita & fræquentius super istis ex eo præsertim quod ceremoniæ non sint ad sacramenti substantiam necessaria. Huius occasione primo quæritur, quid dicēdum de modo ministrandi illorum qui ad vitandū contagionis periculum, nullas ceremonias in sacramentorum administratione adhibere curant?

Respon-

Responsio.

Quamuis hic modus ministrandi speculatiue tolerari posse videatur, tamē practice & moraliter loquendo vix probari potest: quia vix possibile est hoc modo ministrare, sine magna sacrorum mysteriorum irreuerentia, & pusillorum scandalo: siquidem sacramentalis actio, quæ omni honore, propter gratiam iustificantem quā confert, dignissima est, nisi cæremonia aliqua exteriorē exornetur, vulgo non distinguetur à pphana, & populus aduertēs sc̄ta à pastore tractari nullo exteriori cultu, puta in habitu prophano, paucis verbis & facile in illorū vilipendiū & contemptū adducet.

Dices 1. Iacet aliquis peste infectus in agro semimortuus, quē forte pastor reperit sacramentis egentē, tenebiturne ergo & illo casu ceremonias in sacramentorum administratione adhibere?

R. Et illo casu pastorē teneri si vlla temporis mora permittat adhibere ceremoniā, illam saltem quam omnibus consideratis pro re nata sacra illa actio permittet: Hoc n. naturalis ratio, præsupposita fide sacramentorum, ita faciendum dicit, aliās si res nullam omnino moram temporis patiatur ceremoniæ etiam omnes possunt & debēt prætermitti, vt quanto cius per sacramētum
proximū

*a tom. 3. in 3.
D. Tho. disp.
31, sect. 5. in
fine.*

proximi necessitati succurratur, vt scite
Zuares(a) asseruit.

Dices secundo: Quale peccatum est mi-
nistrare sacramentum sine vlla cerimonia?

R. Quempiam posse omittere ceremo-
nias tripliciter: vel ex contemptu vel ex ne-
gligentia, vel necessitate: Ex contemptu
puta, quia existimat illas vel omnino su-
perfluas vel impertinentes, aut aliquid hu-
iusmodi, hic grauiter admodum peccat qui
magnam facit iniuriam Ecclesie, & indi-
gne de Spiritu sancto, à quo huiusmodi ce-
rimonie sunt instituta, sentit, & anathema

*b sess. 7. de sa-
eram. can. 13.*

illi per (b) Concil. Trident. inferitur. Ex ne-
gligentia, puta, quia existimat tempus pe-
nitentiae excusare ab illis adhibendis, etiam-
si aliquas saltem breues sine magno peri-
culo, immo vix villo adhibere posset, & hic
peccat quamuis altero leuius, nisi scanda-
lum suboriatur, ratione cuius graue pecca-
tum erit. Ex necessitate, quia peste infectus
animam agit, & pastor nihil plus temporis
habet, quam vt tundenti pectus, vel diui-
nam misericordiam imploranti absolutio-
nem impendat, vel aliud pro re nata sacra-
mentum ministret: hic non peccat, sed po-
tius laude dignus est, & apud Deum
pro officio multum me-
retur.

QVÆ-

QVÆSTIO XLVIII.

*Quid contra de illorum qui omnibus vti
volunt?*

Quæstionis explicatio.

Rari sunt huiusmodi, visus tamen fuit vnus nostro tempore, qui grassante per Belgium & patriam Leodientem peste anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono, sprete morte hoc pacto pleraq; sacramenta ministravit, in hoc insuper laudandus, quod alios quosdam parrochos, maiori cautione cæremonias adhibentes, & sibi à contagione sollicitius cauètes, ipse sibi soli securus, non reprehenderet: huius occasione quæritur, quid de hoc modo & ratione ministrandi censendum sit.

Responsio.

Non potest non probari modus illorum, qui sprete morte tali tempore sacramenta cum suis cæremoniis ministrât, sicut nec improbandus est illorum qui illas vel omnes aliquas pro re nata omittunt. Prior assertionis pars p̄t 1. quia qui sic ministrant, faciunt officium virtutis; vtrumque enim & sacramenta ministrare, & cæremonias ab ecclesia præscriptas adhibere, pertinet ad virtutem religionis, 2. quia tales populi deuotionem & reuerentiam, quam

quam erga sacramenta habere solent, fouent & augent, quando vident pastorem ad maiorem illorum honorem etiam ceremonias, & solemnitates cum vitæ periculo adhibere: postremo, quia cæremonias ecclesiasticas, quas hæretici ridet, hoc pacto maximè defendunt, quod est officium maximæ virtutis. Postremo probatur i. quia fieri potest, imo morale & frequens est, vt morbus ita violētus sit, vt statim vitam aut certe mentem ægro eripiat, vel vt plurimi sint iam peste infecti, rari autem aut nulli alii sacerdotes, qui sacramentis ministrandis vacare velint: his enim & similibus casibus, laudabilius erit omissis ceremoniis, vel omnibus, vel aliquibus, plures, alioquin sine sacramentis morituros, iuuare, & secum Christo lucrifacere.

Dices: Leges ecclesiasticæ de ceremoniis in administratione sacramentorum adhibendis, non obligant pastores cum periculo vitæ, debent ergo pastores illas omittere & vitam conseruare.

R. Possunt si velint, non tamen tenentur, possunt enim iuri suo cedere, & vitam corporalem pro bono virtutis & spirituali merito profundere, vt ante ex
 alia occasione diximus.

QVÆ

QVÆSTIO XLIX.

An tentent Deum, qui peste laborantibus sacramenta ministrant cum omnibus ceremoniis precibus & solemnitatibus.

Quæstionis explicatio.

Occasione extremorum, de quibus mentionem faciunt duæ præcedentes quæstiones, natæ fuerunt illo calamitoso anno 79. inter pastores plures quæstiones, & imprimis, vtrum, qui proluxa illa recitatione precum, psalmorum, exorcismorum, Catechismi, vñctionum, & aliarum ceremoniarum, quæ in quibusdam sacramentis adhibentur, se exponit periculo vitæ, moram trahendo apud peste infectum, tentet Deum.

Responsio.

Non tentat quia secundum communem Theologorum is dicitur Deum tentare, qui ex dubitatione quam habet de aliqua eius perfectione, v. g. de eius prouidentia, bonitate, &c. aliquid facit ad experiendū, vtrum habeat illam nec ne. In eo aut qui ex religione, qua ducitur erga dignitatem, & præstantiam sacramentorum, vult illa solemniter, & cum apparatu ceremoniarū ministrare, etiam cum vitæ periculo, nihil

rale

tale reperitur, quin potius omnia sunt contraria: nam neque dubitatio vlla apparet, & caeremoniarum apparatus, qui adhibetur, non fit ad experiendum: An Deus habeat illam vel illam perfectionem: sed ad honorem & reuerentiam sacramentorum, quod ad virtutem religionis pertinere supra ostendimus. Cui tentatio Dei opponitur, vt communiter omnes docent.

Dices: Non solum dicitur tētare Deum, qui expresse & formaliter dubitat de aliqua illius perfectione, & vult propter illam dubitationem sumere experimentum, sed etiam qui hoc tacite agit, puta si neglectis mediis à diuina prouidentia constitutis aliquid agat expectans effectum à Deo. Sed hoc videtur iste agere, expectans vitæ conseruationem absque aliqua sui custodia, ergo, &c.

ꝛ. Negando minorem, neque enim hoc agit vt experiatur, an Deus illi vitam custodiet, imo illam vt præsupponimus contemnit propter virtutem religionis, quod licitum est & laudabile, vt ante ostendimus.

QVÆSTIO L.

*Attendant illi qui non solum omnes ceremonias
apud peste infectos recitant: sed etiam anti-
dota & res præseruatiuas quæ facile
habere possunt, negligunt.*

Quæstionis explicatio.

ORta est hæc quæstio ex eadem occa-
sione: nam idem de quo superius lo-
quuti sumus, sicut oēs cæremonias quam-
uis prolixas apud ægrotos recitabat, ita o-
mnes res præseruatiuas, vt sacrificio Missæ
peragendo vacare posset, negligebat. Que-
ritur ergo an pastor accedens peste infectos
neglectis antidotis quæ à Medicis tunc
temporis præscribi solent, & facile haberi
possunt, tentet Deum?

Responsio.

Nequè ille tentat propter rationes an-
te dictas, quia & si posset, non tene-
tur regulariter sumere medicinas, sicut po-
test quis licite vitam suam defendere, &
propter bonum virtutis patientiæ vel alte-
rius iustam sui defensionem ommittere.

Dices, Sanus qui non vellet cibum su-
mere, diceretur vel Deum tentare, expectas
videlicet cognoscere, an Deus posset eum
in vita absque cibo conseruare vel velle sei-
psum enecare: Ergo similiter peste infectus

I vel

vel in morali periculo contagionis constitutus, si non sumat medicinas vel præservationes dicitur, vel Deum tentare, vel seipsum interficere.

¶. Negando consequentiam, quia neque hic quicquam à Deo petit cognoscere, ut superiore questione ostendimus; Neque potest dici se enecare velle, sicut ille qui non

*a Francisc. à
Vist. relect. de
temp. initio.*

vult uti alimentis, quia magna est (a) differentia inter alimēta & medicinas: Alimentum enim est medium naturale per se ordinatum ad vitam sustentandam, non item medicina. Nec homo tenetur adhibere omnia media possibilia ad vitam cōservandam, sed sufficit adhiberi media ad hoc per se ordinata, ut ante diximus: Quinimo laudata est (b) beata Agatha, quod medicinam carnalem corpori suo nunquam exhibuerit: Quamuis nō desint qui valde probabiliter dicant, quod si quis moraliter certus esset se sumpta medicina præservationem vel sanandum morbo illā debere sumere, & probant, quia in tali casu ego tenerer proximo dare: ego etiam tenerer sumere per regulam charitatis: (c) Diliges proximum tuum. sicut teipsum. unde de hac questione Franciscum (d) à Victoria, & ante illum Gabrielem (e) Biel.

*b Breviar.
Rom. 5. Feb.
Gabriel Biel.
quast. de fuga
pest. con. 9.*

c Matth. 5.

*d Relect. de
temp. initio
relect.*

e supr.

QVÆSTIO II.

*Quid censendum de modo ministrandi illorum,
qui novos ritus in administratione Sa-
cramentorum adhibent.*

Quæstionis explicatio.

POtest quæstio intelligi duobus modis,
dupliciter enim potest quis novos ritus
adhibere. Primo, intentione introducendi
in ecclesiam nouum ritum & damnandi a-
liquem vsum ecclesiæ: altero, premente ne-
cessitate, vt paucis ante insinuauimus, & in-
sequētib; aliquid particularius dicemus:
Hoc præsupposito quæritur, quid de hoc
modo ministrandi censendum sit?

Responsio.

Si primo modo intelligatur quæstio, ille
nullo modo tolerari potest, sed tanquam
hæreseos suspectus reprobandus est, vt pa-
tet ex antedictis. Si secundo modo, potest
tolerari in necessitate, maxime accedente
Summi Pontificis vel Episcopi authorita-
te, qui pro suscipientium vtilitate rerumq;
locorum & temporum varietate, cæremoni-
as immutare vel variare possunt.

Dices: Nullone casu poterit parochus a-
liquid circa cæremonias immutare aut no-
uum facere?

I 2 R. Si

R. Si periculum est in mora & ita morientis necessitas spiritualis postulat, poterit ceremonias, puta orationes, psalmos exorcismos, vel abbreviare, vel in totum omittere, & sic in aliis, vt ante annotauimus.

1 Dices 2. Poteritne quoque novos aliquos ritus oportunos ad vitandum contagionis periculum effingere?

R. Non poterit, hoc enim vt ante dictum est, ad superiores pertinet, de qua re postmodum adhuc redibit sermo.

Q V Æ S T I O L I I.

Quid de illorum qui vtuntur ritibus & ceremoniis diœcesis?

Quæstionis explicatio.

S Vmmus Pontifex Paulus IV. desiderio Philippi Hispaniarum Regis satisfacere cupiens, anno millesimo quingentesimo nono, diœcesim Leodiensem amplissimam in plures diuisit assignauitque singulis suos Episcopos, quorum quilibet nuper rituales librum concripsit, cum aliqua etsi non magna rituum & ceremoniarum diuersitate, vnde fit, vt cum plures hæ diœceses sint vicinæ, & quibusdam locis intermixtæ, non raro pastor vnius incidat in

dat in librum rituales alterius, eoque utatur in ministrandis populo suo sacramentis: huius rei occasione quaeritur, quid de hoc modo ministrandi censendum sit?

Responsio

ET hic modus ordinarie tolerari non debet, poterit tamen in casu pestis variis ex causis excusari. Probat prior pars quia quiuis pastor tenetur ordinarie in officiis pastoralibus uti ritibus diocesis suae, colligitur ex Concilio (a) generali sub Innocentio III. celebrato, & ante ostendimus ex Paludano, Soto & aliis. Posterior patet, (b) quia necessitas lege caret. Si ergo pastor incidat in peste infectum, & non habet ad manum parochiale suae diocesis, non peccabit si utatur ritibus diocesis vicinae, praesertim quia praesupponimus, illos esse Catholicos & ab ecclesia approbatos.

a Refertur de offic. iudicis ordinarij, c. quoniam. b c. peruenit. De consuet.

Dices, quale peccatum est uti ritibus alterius diocesis?

R. Si necessitate cogente fiat, nullum erit, si vero sine necessitate non potest non esse ad minus veniale satis graue, si enim singuli pastores pro libitu suo vellent uti ritibus, modo vnius modo alterius diocesis, inueheretur in ecclesiam maxima confusio contra illud (c) Apostoli: *Omnia honeste & secundum ordinem fiant in vobis.*

c I. Cor. 14

I 3

QVÆ-

QVÆSTIO LIII.

Quid de illorum qui sine signo Crucis sacramenta ministrant?

Quæstionis explicatio.

CÆremoniam signi crucis in administratione sacramentorū semper fuisse adhibitam Catholici omnes norunt, vsque adeo vt Stephanus ^(a) Pōtifex dixerit: *Nunquid non omnia charismata sacerdotis mysterij crucis figura perficiuntur? Nunquid baptismatis vnda nisi cruce sanctificata peccata relaxantur? & vt cetera prætereamus, sine crucis signaculo quis sacerdotij gradus ascendit?* His verbis videtur Pontifex innuere sacramentorum administrationem nullam esse, nisi signum crucis adhibeatur: huius occasione queritur, quid dicendum sit de modo ministrandi illorum qui prætextu necessitatis vrgentis ne signū crucis quidem adhibent in ministracione sacramentorum?

^a De consecr. dist. 8. c. nunquid.

Responsio.

Nequē hic modus ferendus est, quamuis sine signo crucis sacramenta subsistant, & per inaduertētiam aut aliās omīssio illius excusari possit: prior pars patet etiam citatis Stephani Pontificis verbis, quibus vult ad omnem sacramentorum administrationem signum crucis adhiberi, confirmat

firmat hoc ipsum usus & consuetudo ecclesie vniuersalis, quæ vbique & semper tale signum adhibet, vt late probat & deducit Jacobus (a) Greslerius, denique tam cito & tam facile fieri potest, vt non videatur moraliter loquendo posse dari articulus necessitatis tam arctus, quin in illo adhiberi facile possit. Quod tamen absque signo crucis sacramenta subsistant, licet (b) Thesaurus Sacerdotalis cōtrarium existimet, patet ex communi Theologorum sententia: siquidem nullus eorum hucusque, quod scire potuerim, hoc asseruit, denique quod illius omisio excusari possit, patet, quia cum signum crucis celeri motu fiat, morale est, vt vix aduertamus, an illud fecerimus an non, sicq; oporteret multos pastores, præsertim senes frequenter anxios esse, an peregissent signum crucis vel non.

Dices: Pontifex dicit sacramentū signo crucis perfici, nullo modo ergo sacramenta sine illis ministrari poterunt.

R. Cum communi Theologorum, Pontificem illis verbis nō respexisse ad substantiam sacramentorum, sed potius ad eorum virtutem & effectum, qui sine merito crucis & passionis Iesu Christi nullus est.

^a De cruce
Christi, lib. 3.
c. 7. 8. & 9.

^b part. 1. f. 134.

QVÆSTIO LIV,

*Quibus modis vt frequentius peccari contingit
circa administrationem Sacramento-
rum tempore pestis?*

Quæstionis explicatio.

HÆc quæstio mouetur, vt summatim
veluti in tabula ob oculos ponantur
peccata, quæ committi possunt in admi-
nistratione sacramentorum tempore pe-
stilentiali, quæ ad tria genera reuocantur,
vel enim ministrantes peccant occasione
sumpta ex parte sua, vel ex parte suscipien-
tium, vel ex parte modorū, quib. pro tem-
pore, volunt ministrare sacramenta,

Responsio.

PRimo errant, & grauiter peccant, qui
putant non esse administranda sacra-
menta tempore pestis, & idcirco non ad-
ministrant.

Secundo: Errant pariter & peccant pa-
stores qui dicunt se non teneri ministrare
sacramenta, cum periculo vitæ.

Tertio; Et qui nullo sacerdote substitu-
to quacumque gratia obtenta illo tempo-
re absunt, etiam tantum ad bimestre.

Quarto: Et qui peste grassante ecclesie
parrochiali renunciant, & populum suum
deserunt,

Quinto;

Quintò: Et qui ministrare sacramenta negligunt prætextu magistratus aut cuiuscunque potentatus, qui illa ministrare dissuadet, propter imminens vitæ periculum, aut quamcunque aliam causam.

Sextò. Et populus, qui sine incommodo posset cum pastore migrare ad locum salubriorem, nec vult migrare, sed Pastore secum manere.

Septimò; Et pastor, qui non vult ædes peste infectorum ingredi, ad ministranda sacramenta, cum æger ex ædibus se mouere non possit.

Octauò: Et qui non ministrat sacramenta, sub prætextu, quod aliquoties ægrum reperit, minus ad illa recipienda paratum.

Nonò: Vel qui non ministrat, quia populus, dum sanus esset, quamuis præmonitus, non voluit illa recipere.

Decimò: Vel qui non ministrat vocat⁹ eò quod teneatur celebrãdo sacro, vel occupetur in diuino officio legendo, vel aliãs quantumuis pio opere.

Vndecimò: Et qui illo necessario tempore fugit & latitat.

Duodecimò: Et illi sacerdotes, qui absente, siue iuste siue iniuste pastore, non volunt ministrare populo sacramenta.

Decimotertiò: Et qui moniti per Episcopum

138 DE NECES. ET MOD. MINIST,
scopum, vt officium præstent, non obedi-
unt, sed excusationes nectunt, aliaque sub-
terfugia quarunt.

Decimoquartò: Et illi, qui pietatem ob-
ligationis, quam habent de adiuuandis pa-
rentibus, nõ volunt populo in hoc officio
tam necessario tempore seruire.

Decimoquintò: Et religiosi, qui p̄textu
exemptionis & obedientiæ, Prælati suo
debitæ, nolunt illo tempore Episcopo ob-
edire,

Decimosextò: Et Prælati, vt Abbates,
Dacani, Priores, qui suis Canonicis, Reli-
giosis, Monialibus, Seruitoribus, non mi-
nistrant per se vel alium sacramenta,

Decimosseptimò: Etiam Episcopus, qui
non prouidet de sacerdotibus necessariis,
nec ipse sacramenta ministrat.

Decimooctauò: Etiam magistratus, qui
absente vel negligẽte Episcopo, quantum
in se est, huic rei remedium non adhibet,
siue sit Ecclesiasticus, siue Secularis.

Decimononò: Qui non aduocat vel
etiam conducit sacerdotem sub prætextu
quia est improbus vel ab ecclesia præcisus,
hæreticus, concubinarius, ebriosus, cum
alius reperiri non possit, nisi prudentia ali-
ud dictauerit, præsertim in aduocando hæ-
retico, propter subuersionis periculum, de
quo

quo ante meminimus, quæstion. 24. sub finem.

Vigesimo: Qui tantum aliquibus, non autem omnibus ministrant sacramenta, quamuis possint, & illi sint sufficienter dispositi.

Vigesimoprimum: Qui non ministrant illis, qui in amentiam & furorem acti sunt.

Vigesimosecundum: Nec aliis, quia non petunt.

Vigesimotertium: Nec excommunicatis nec interdictis.

Vigesimoquartum: Qui pluribus simul petentibus illa sine ordine à charitate præscripto ministrant.

Vigesimoquintum: Qui vocatus ut baptizet infantem peste infectum, cõfert se ad alterum communicandum, iungendū, aut etiam sacramentaliter absoluendum.

Vigesimosextum: Qui ministrando sacramenta vtitur materia vel forma incerta, cū possit vti certa.

Vigesimosseptimum: Qui sine necessitate non simul sed prius materiam, deinde post notabili tempore adhibet formam.

Vigesimooctavum: Qui sine necessitate diuidunt sacramenta, vno adhibente materiam, & altero adhibente formam.

Vigesimononum: Qui nullas in ministrando care-

140 DE NECES. ET MOD. MINIST.
do ceremonias adhibent, cum possint sal-
tem aliquos.

Trigesimò: Et illi contra, qui in omni ca-
su omnes adhibent.

Trigesimoprimò: Qui novos ritus ef-
fingunt, & ab ecclesia receptos damnant.

Trigesimosecundò: Et qui ordinarie v-
tuntur ritibus alterius diœcesis.

Trigesimotertiò: Qui regulariter negle-
cto signo crucis sacramenta ministrant. Ra-
tiones harum omnium assertionum, quili-
bet facile colliget ex præcedentibus resolu-
tionibus quæstionum huius capituli.

Dices. Estne peccatum mortale, pecca-
re in administratione sacramentorum tem-
pore pestis?

R. Ferè circa singulas quæstiones ali-
quod particulatim de hac re dixim⁹, sed quo-
niam hic generatim quæritur, responde-
tur & hic aliquid generatim.

Dico primò. Quod nolle ministrare sa-
cramenta tempore pestis, peccatum est mor-
tale, quod ad genus homicidii refertur, ut
patet.

Dico secundò. Omittere vel immutare
substantialia sacramentorum, vel incertas
formas & materias adhibere, cum possint
certas, mortale peccatum est, quia faciunt
iniuriam sacramento, & suscipientem ex-
ponunt

ponunt periculo damnationis aeternae, ut
ex precedentibus facile colligi potest.

Dico tertio. Effingere novos ritus & mo-
dos ministrandi sacramenta, cum intenti-
one introducendi nouum ritum, aut dam-
nandi aliquem usum ecclesiae, peccatum est,
& illi dicitur anathema per (a) Concilium ^{a Sess. 7. can.}
Tridentinum. _{13.}

Dico quarto. Non seruare ritus consue-
tos, & omittere vel immutare illos sine li-
centia superiorum, quando tempus illam
rogare permittit, est quoque mortale, quia
est sacrilegium contra virtutem religionis,
& sic ex genere suo mortale, quamuis propter
paruitatem materiae vel inaduertenti-
am possit fieri veniale, sicut in
aliis omnib. peccatorum
generibus.

):{

CAPVT